# AUTHORITAS DIVI THOMÆ AQUINATIS

QUINTI ECCLESIÆ DOCTORIS

# NODO INDISSOLUBILI

PER

R.dum admodum PATREM F. PETRUM DE ALVA ET ASTORGA Theologiæ Lectorem Jubilatum ; Supremæ Inquiſitionis Qualificatorem, totius Religionis Minorum Patrem & exprocuratorem generalem in Romana curia,

## NUPER REVINCTA,

NUNC VERO

## SOLUTA

Non inanibus & calumnioſis verbis,
Sed ſtylo & veritatis efficacia,
SEU
Calamo & rei veritate,

PER

F. FRANCISCUM JANSSENS ELINGA
Lovanij Philoſophiæ Profeſſorem
Ordinis Fratrum Prædicatorum.

GANDAVI,
Apud MAXIMILIANUM GRAET,
Ad ſignum Angeli.

Anno 1664.

*Cumque inspexisset Philisthæus, & vidisset David, despexit eum: erat enim adolescens.* 1. Reg. cap. 17.

REVERENDO ADMODUM

ET

AMPLISSIMO DOMINO

# D. MACARIO SIMEOMO

SACRÆ THEOL. LICENT.

CELEBERRIMÆ ABBATIÆ S. MICHAELIS

ABBATI

MERITISSIMO.

EA est, PRÆSVL AMPLISSIME, universi hujus institutio, quod inferiora subordinentur superioribus; ut sit videlicet ordo in rebus. Hinc terra, cælis: inferiores cælorum spheræ, superioribus: superiores verò, Motrici Intelligentiæ; & hæc quoque sublimioris naturæ Spiritui subordinatur. Hinc Angelus superior Inferiorem illuminat: quid ni verò & inferiorem se, instanter protegat, si opus fuerit protectione? Angelicus noster Doctor, Angelicus divinæ Voluntatis Interpres, increatæ Sapientiæ & Scientiæ deputatus Angelus *Thomas de Aquino*,

quantum non patitur hodierna die, quid non ſustinet oblocutionis, quid non contrà eum eructatur dicteriorum, quid non injuriarum, quid non calumniæ? Denudatur, & hoc quidem à Scriptore Catholico, qui ſcrupulo ſibi duceret ſi vel unum iota vel unus apex alicujus Sancto Thomæ datæ laudis, contradictionis ſuæ calamum ſubterfugiſſet, denudatur, inquam, ab univerſis quæ per tot ſæcula poſſedit, ſibi datis elogijs: deſcribitur ut erroneus, in pluribus (quæ tamen teſte Joanne XXII. non ſine ſpeciali Dei infuſione perfecit) operibus: & quod cælum ipſum non capit, exponitur Quintus Doctor Eccleſiæ, in cujus tamen doctrinæ impenetrabili Clypeo, triumphavit hactenus militans Eccleſia contra univerſos hæreticos, tamquam qui docuiſſet infamiſſimas hæreſes, dum condemnatus ab eodem dicitur, quoad 222 articulos, quorum primus eſt, *quod Deus non ſit trinus & unus.* In hæc tempora profectò incidimus, ut ſuperioris alicujus Angeli protectione opus ſit, in defenſionem iſtius, qui teſte famâ publicâ, *Angelus fuit antequam eſſet Doctor Angelicus*: Opus eſt ſuperioris ſpiritus defenſione, ut qui olim teſte S. Vincentio, illuminabatur ſæpiùs ab Angelo exiſtens adhuc in terris, modo defendatur ab Angelo, exiſtens in cælis. Et verò

ſi opus

ſi opus fuerit ſublimioris alicujus Angeli auxilio, pro Angelo noſtro Thoma: quem pro hujuſmodi obtinendo auxilio interpellem? Ad Michaëlem Angelici cætus archipræſidem, pro Angelo plus ſuo, quam noſtro, defenſionis ſpectat proviſio, ita tamen ut & ſolicitari debeat ad defendendum. Atque propter hanc cauſam PRÆSVL AMPLISSIME hodiernâ ego die, hunc libellum meum, in quo incepimus præludere ſolum efficaciori quam è cælo ſperamus pro S. Thoma defenſioni, ſupplex ad pedes veſtros abjicio, ut per eum videlicet, Amplitudo Tua, ab Archangelo ſuo Michaële, (ſuo dico quod is ipſe univerſæ Abbatiæ tuæ, à quo etiam nomen ſortita eſt noſcatur præſidere) ut ab illo, inquam, pro Doctore noſtro Angelico efficacis auxilij poſcat effectum. Sed nec Sancti Thomæ dumtaxat, ſed & libelli mei, Te medio ſolicitari velim defenſionem; licet is etenim S. Thomæ ſit affectuoſa defenſio, talis tamen eſt, ut & ipſa defenſio petat defendi, contra malevolorum ſi quæ exoriantur dicteria & oblocutiones. Sperem hujuſmodi meam ſupplicam non gravem vobis, non oneroſam, imò vero præſumo ratam & gratam: cum apud eum facta ſit, qui præterquam quod Sanctiſſimi Præſulis *Norberti* ſit in Chriſto filius, atque

ex hoc ipso doctrinæ D. Thomæ cùm toto suo Ordine fidelis æmulator, dum adhuc esset in inferioribus, 12. plus minus annis, suis modò subditis, tunc discipulis, Thomam prælegit. Ratio altera ex qua præsumo de hujus supplicæ apud Amplitudinem Vestram non gravamine ea est, quod Præmonstratensem Vestrum candidum Ordinem, atque Abbatiam imprimis Vestram, ab antiquo, à primis inquam Ordinis nostri in libro adversarij horribiliter etiam diffamati cunabulis, summopere noverim affectum. De affectu Abbatiæ Vestræ, relictis qui tamen adhuc è sepulchris in gratiarum actionem loquuntur de Conventu Antuerpiensi defunctis nostri Ordinis fratribus, testari possunt quia experti, & volunt quia non ingrati, quotquot hodiernâ die in eodem Conventu in obsequium Amplitudinis Vestræ supersunt fratres. De affectu verò totius Vestri Præmonstratensis Ordinis erga Ordinem nostrum, ille ipse Ordo Vester luculentissimus testis est: ut qui Anno M.CC. XXX. in Comitijs Præmonstrati celebratis, Ordinem nostrum in partibus Teutoniæ, suorum participem fecerit privilegiorum omnium, & beneficiorum: uti patet ex litteris originalibus in archivo Conventus nostri Antuerpiensis reservatis. Hæ sunt rationes propter quas præ-

ſumam ſuprà poſitam meam ſupplicam non vobis oneri futuram ſed gratam: quo præſumpto, nihil veritus de obloquio, nihil timens de periculo, quia certus de auxilio, in æternum maneo

*Ampliſſimæ Dominationis veſtræ*

*Obſequentiſſimus ſervus*

F. FRANCISCUS JANSSENS ELINGA
Ord. Præd.

MIraris (scio) Lector optime; quod in libro, cui titulus Nodus Indissolubilis de conceptu mentis & de conceptu ventris, composito à R. P. F. Petro de Alva & Astorga Ordinis Minorum, impesso Bruxellis ut præfertur in frontispicio Anno 1661. typis Philippi Vleugaert, deprehenderis indigna adeò contra Sacrum Prædicatorum Ordinem, adeò irreligiosa & scandalosa contra Quintum Ecclesiæ Doctorem S Thomam Aquinatem. Miramur & nos scribi potuisse à Viro alioquin Religioso, perniciosas adeò calumnias, eo tendentes ut sacro nostro Ordini inurant nomen imposturis & falsarij Bullarum Pontificiarum: scriptis vero S. Thomæ omnem detrahant authoritatem. Cæterùm scimus quis dixerit, necesse est ut veniant scandala: & væ homini illi, per quem scandalum venit. Et huic quidem scandalo avertendo, replicari deberet responsio omnibus numeris absoluta, & hoc à viro omni acceptione maiore: verum cum nobis usque nunc desint instrumenta nonnulla, quæ ex Hispania, Italia & Gallia requirimus, sine quibus tamen ad amussim respondericri non potest, (licet sine illis possit sufficienter:) hinc ego nullius scientiæ, litteraturæ vel nominis, calamum strinxi, & hoc eo fine, ut quicumque sub S. Thomæ disciplina hactenùs militavunt in palestra Theologica, non relinquant suæ signa militiæ, nec propter datum scandalum,

remit-

*remittant aliquid de consueto studio, sed persistant in acie fidelißimi Ductoris, quia tutißimi Doctoris: & quicumque Ordini nostro bene affectus fuerit, nihil nobis subtrahat de affectu, imò verò pondus aliquod superaddat, cogitans quod virtuosi signum sit, pati calumniam. Resolutio igitur huius opusculi erit, non quidem in omnibus continuum discursum texere, sed formare quemdam catalogum scommatum, non quidem omnium (nam totus liber non nisi unum scomma est) sed magis intelligibilium, quibus R. P. de Alva illudit Sancto: detegere falsitates quibus detrahit sermonibus Thomisticæ veritatis, referre convitia, dicteria, sarcasmos, contumelias &c. quibus irreligioso calamo perstringit præstantißimos Scriptores Ordinis nostri, & in his sanctitate fulgentes. Quod si subindè verbum aliquod durius exciderit, charitatem non fregero nec ero malignus, cum quantumcumque pacifici non poßint non bilem excitare (zelum potiùs dixero) adeò multiplicatæ adversus matrem seu Religionem meam, & adversus meum & Communem Ecclesiæ Magistrum, sparsæ per totum librum calumniæ, imposturæ, ironiæ &c. Præterquam quod iustæ causæ patrocinanti, in materia præcipuè obiectarum iniuriarum, idq; pro Sancto, acrimoniâ quadam uti in verbis, & nonnihil immiscere ardoris suis sermonibus, iura omnia vel suadeant (ut effi-*

*cacior sit refutatio) vel ad minus permittant, ut tolerabilior sit iniuriarum obiectio. Nec tamen quantumcumque pro S. Thoma zelatus fuero, aut pro defensione eius excessero, vel centesimam partem acrimoniæ* Nodi Indissolubilis *adæquabo, cum eum P. de Alva à principio usque ad finem repleverit amaritudine amarissima, absit quod Alexander VII. commendasset eum ut modestum. Cæterùm ne quis quærat Nodum in scirpo, priusquam verbum moveo contra P. de Alva, protestor candidè & religiosè, me nec in minimo directè vel indirectè, velle attingere conceptionis mysterium; revereor enim decreta Pontificum, & vel maximè Sanctissimi Domini nostri Alexandri VII. si proindè aliquandò Nodum solvero Patris de Alva, non alia id præstitero intentione, quam ne S. Thomam ex falsis & indoctis suis assumptis, videatur innodasse. Tu interim Lector optimè fruere hoc meo labore, exspectans nihilominùs decursu temporis responsionem magis suis numeris absolutam: quæ si quid scrupuli in te remanserit, post huius lectionem Opusculi, totaliter te convincat & quietet. In hoc verò admonitum te velim, ne, si quid deprehenderis in Nodo Indissolubili Patris de Alva, quasi ab eo dictum in laudem & æstimationem S. Thomæ, ex tali intentione credas dictum: sed magis ex ironia vel suppositione, cum hic sit modus procedendi eiusdem Patris per totum eumdem Nodum*

*Indis-*

*Indissolubilem, ut videlicet postquam quæcumque quantumcumque etiam minuta S. Thomæ elogia oppugnaverit tamquam ficta, ea tamen gratis dicat se admittere, ut ex ijs contra nos educat materiam contradictionis. Vale.*

---

# Facultas Reverendi admodum & Eximij P. Magistri Provincialis.

NOs Frater JACOBVS VANDEN HEEDE Sacræ Theologiæ Magister, Ordinis FF. Prædicatorum per Inferiorem Germaniam Prior Provincialis, committimus R. Patri F. JACOBO CRAYE, & R. P. F. THOMÆ VAN GODTSNOVEN S. T. Licentiatis, examen libelli, cujus titulus: *Authoritas D. Thomæ Nodo Indissolubili nuper revincta* &c. & permittimus, ut suppositâ approbatione eorumdem, & superveniente consensu Censoris Ecclesiastici, possit lucem videre. Datum die 30. Junij 1663.

*F. IACOBVS VANDEN HEEDE Provincialis,*

Appro-

*QVod Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores suos habeant æmulos, nec mirum est, nec novum: sed quod ipsorum authoritas & doctrina ab ipsis Ecclesiæ filijs, virisq; Religiosis, flocci fiat, imò verò dicterijs ac calumnijs proscindatur, id porrò deplorandum est, nec ullatenùs tolerandum. Cùm enim fides orthodoxa ipsis tanquam columnis innitatur, Ecclesiam impetit quisquis ipsos molitur convellere. Hos inter Angelicus Doctor & Doctorum Angelus D. Thomas, medius quodammodò stat, fulcitq; Ecclesiam; & sicuti reliquorum Sanctorum Patrum sensa in se collegit & complexus est, ita quoque ab ipsis tam pressè cingitur, ut ad columen hoc pertingi non possit, nisi perruptis & evulsis alijs. Vndè etiamnum* inconcussa tutissimaque *manent ipsius* dogmata, *confirmante Sanctissimo Domino nostro Alexandro, manebuntq; dum steterit Apostolica Sedes, eorum protectrix & vindex singularis; frendeat liveatq; invidia: cuius in Sanctum istum Doctorem vibrata spicula (non dissimilia his quæ hoc opusculo* R.P. Francisci Janssens Ord. Frat. Prædicatorum Philosophiæ Professoris, *efficaciter confringuntur) iam dudum comminuta iacent. Eadem enim propemodum, tametsi non ita præpilata, continebat libellus quidam (ut omittam alia) primùm suppresso nomine authoris per Hispaniam divulgatus circa annum 1626. hoc titulo,* Memorial a los Iuezes de la veridad y doctrina, *sive* libellus supplex Judicibus veritatis & doctrinæ. *Et deinde anno sequenti impressus Oscæ, præfixo nomine* P.F. Francisci de Torres Sacræ Theologiæ Lectoris, ibidemque Conventus S. Francisci Guardiani. *Sed statim censorio stigmate inustus fuit à celeberrima Academia Salmaticensi, in perdocta Apologia quam edidit, pro tuenda doctrina & authoritate Sanctorum Augustini &* Thomæ, *num.* 23. *Præterea tribus alijs specialibus, ijsq; eruditissimis Apologijs confutatus fuit, duabus Hispanicè, altera verò Latinè compo-*

*compositis. Primâ à Domino Antonio de Monroy, Toparcha de Monroy. Secundâ à R. P. Ildefonso Baptista Ord. Dominicani S. Theol. Doctore & Sacrarum Litterarum Professore in Academia Cesar-Augustana. Tertiâ denique à R. P. M. Dominico Gravina, Collegij Sancti Thomæ Neapolitani Rectore, in opere cui titulum dedit,* Cherubim Paradisi, *& quo nomen & existimationem Angelici Doctoris fortissimè à Calumniatoribus vendicat. Ac tandem ille idem libellus proscriptus etiam fuit per Supremam & Generalem inquisitionem Hispanicam, nec non per ipsam Romanam in capite Operum Ioannis Baptistæ Poza, decreto edito 9. Septemb. 1632. & debite publicato Romæ 28. eiusdem mensis & anni. Adeò Ecclesiam ipsam tangit, quidquid Divum Thomam offendit. Vt vel ob hoc satis demirari non valeam, quid Reverendum Patrem de Alva & Astorga (qui hæc ignorare non potest) induxerit, ut medium Ecclesiæ tam ingratum, & pio cuiq; odiosum assumeret in pium finem. Quid, ut merces tam exoletas & vitiosas ab India huc adveheret. Quas tamen dum plurimi viri etiam litterati, tum hic, tum alibi pro recentibus ac sinceris admittunt; necessè omninò videtur, ut opusculum hoc, quo ipsarum fucus bellè detegitur, quamprimùm prodeat, ne sub illo, vilipendium quoque authoritatis & Operum Doctoris Angelici latiùs distrahatur ac insinuetur. Nil enim continet fidei aut bonis moribus repugnans; quin potiùs fidem astruit, dum D. Thomæ authoritatem propugnat: moresq; corrigit, dum nimiam Sanctos Patres sugillandi licentiam, hodiè plus æquo invalescentem, reprimit & confundit. Acetum quo hinc indè nonnihil madet, ipsa materiæ quam diluit indignitas facilè imbibet: & filialis in læsum Parentem pietas, ardorq; iuvenilis proculdubio temperabit. Hoc unum dolendum, quod inimicus homo qui à mundi principio in partem suam assumpsit, superseminare zyzania dissensionum tritico unitatis, istiusmodi contentionibus ac simultatibus, inter duas præsertim præstantissimas Religiosorum familias, plurimùm damni & scandali*

*Ecclesiæ*

*Ecclesiæ inferat; dum etia sua & studia in segetem longè uberiorem, iunctis animis ac viribus, possent convertere. Dabam Gandavi die ultima anni 1663.*

IGNATIUS GILLEMANS S. T. L. Ecclesiæ Cathedralis Gandavi Canonicus & Pœnitentiarius, Librorum Censor.

---

*Nos infrascripti ex commissione Eximij P. F. IACOBI VANDEN HEEDE S. T. M. & per Inferiorem Germaniam Ordinis FF. Prædicatorum Prioris Provincialis legimus libellum cui titulus* Authoritas Divi Thomæ Nodo Indissolubili nuper revincta &c. *compositum à R.P.F. FRANCISCO IANSSENS ELINGA, Ordinis Prædicatorum Philosophiæ Lovanij Professore, eumq; pro ostendenda eiusdem Ordinis Sinceritate, eiusdemq; gloriæ iusta defensione; tum vel maximè ad vendicandum S. Thomam Doctorem Angelicum, universæ Ecclesiæ lumen præfulgendum; & Scholæ nostræ maximum decus ab iniustâ depressione quæ contra eum ab authore* Nodi Indissolubilis *intentatur, planè necessarium iudicamus ut in lucem edatur. Datum 15. Sept. 1663.*

Fr. JACOBUS CRAYE Ord. Prædicat. S. T. L. & Studij Generalis Lovanij Regens.

Fr. THOMAS VAN GODTSNOVEN Ord. Præd. S. T. L. Magister Studij.

A D

# AD PATREM
# PETRUM DE ALVA
# ET ASTORGA.

REverende admodum P. Lector Jubilate, ecce libellum adeò à Te desideratum, totis à Te votis exoptatum, hodiernâ die emissum in lucem, non in tui confusionem, sed S. Thomæ Aquinatis contrà Te defensionem. Porrò priusquam procedas ad lectionem ejusdem libelli mei, in paucis admonitum Te velim. Imprimis, errare Te totò cælô, dum in secundâ impressione Nodi tui Indissolubilis, hoc opusculum meum dicis prudenter emissum in lucem sub nomine alicujus Philosophiæ Professoris, factum verò ab aliquot ex doctioribus nostri Ordinis Patribus: ipsissimus enim hujus libelli Author is ipse est, sub cujus nomine publicatur, quod præsentialiter ille protestatur, non ad sui jactantiam, sed ne doctiores nostri Ordinis Patres, sed ille solus Philosophiæ Lector censeatur ignarus, si quid minus fundatum, si quid minùs rectè aut solidè dictum sit in libello. Quod verò dicis in eodem Nodo tuo Indissolubili, quòd præstitisset si libellus hic fuisset divulgatus sub nomine alicujus Laici seu Fratris Conversi, ne non solùm doctiores ejusdem nostri Ordinis Viri, sed nec Philosophiæ nostræ Professores censerentur ignari: ad hoc respondet *ignarus*. à Te dictus & reputatus Philosophiæ Professor ille, quod tamdiu temerariè eum proponas ut ignarum, donec responderis nondum à Te viso (uti fateris) ejus libello; ignarum enim judicare aliquem Authorem ex solô nomine, quod videlicet solùm Philosophiæ Professor sit, nec attendere, ejus allegatas rationes, temerarium esse, non

est

est qui dubitet. Cæterùm respondebis ad hæc, quod non ex solo me nomine, sed & in re deprehenderis Professorem Philosophiæ ignarum, dum in primô libelli mei foliô (quod ad manus tuas clanculò devenisse debuit) Tibi imposui, quod falsificasses S. Scripturam, & quod in Introductione operis tui conficeres syllogismum in quatuor terminis, in quo tamen rotatur velut in cardine totus Nodus tuus. Et verò an in hoc dictô meô ignarus inventus sum? quod non sim, & per consequens apud Te saltem videri nolim, dico iterùm (sed nec dico nudè, quia probabo) falsificasse Te S. Scripturam in frontispicio Nodi tui, atque in Introductione operis tui, indoctè usque ad stuporem confecisse argumentum seu syllogismum in quatuor terminis contrà omnem artem syllogisticam. Et procedendo ad primum, ex majori per se notâ, & minori mox probandâ deduco demonstrativè, falsificasse Te S. Scripturam in frontispicio libri tui, sic discurrens; Omnis ille falsificat S. Scripturam, qui ex propositione indefinitâ S. Scripturæ facit propositionem universalem: atqui P. de Alva ex propositione indefinitâ S. Scripturæ fecit universalem in frontispicio libri sui: ergò ibi falsificavit S. Scripturam. Minor probatur: ex hac enim propositione indefinitâ; *Alienati sunt peccatores à vulvâ, erraverunt ab uterô, locuti sunt falsa*, quæ habetur Psal. 57. fecit hanc universalem; *Omnes erraverunt ab uterô, & locuti sunt falsa.* Quod attinet ad hoc ultimum meum assumptum, scio quod tripliciter ad illud respondeas in secunda impressione Nodi tui. Primò quidem, quod verba illa; *Omnes erraverunt ab uterô & locuti sunt falsa*, in frontispiciô Nodi tui non adduxeris ut S. Scripturæ, sed per modum universalis tantùm regulæ. Deindè, etsi ea allegasses ut S. Scripturæ, atque etiam in ipsô titulo libri tui, ante inductas ibi universales,

dixisses;

dixiſſes; *Dicit enim Scriptura*, uti dicis fol. 706. quod nec tunc falſificaſſes S. Scripturam ex eô, quod primum & immediatum ſuprà quod cadit citatio Scripturæ, re ipsâ habeatur in S. Scripturâ, illud videlicet; *Omnes nos quaſi oves erravimus*, & quod proindè cum iſtô primô ſalvetur integritas S. Scripturæ. Et tandem, quod qualitercunque ea adducta ſint, quòd nihilominus quoad ſenſum habeantur in S. Scripturâ. Verùm ad ſingulas reſponſiones tuas audi ſubſequentes tres replicas meas. Atque ut ordinatè procedamus de primâ ad ultimam, probo evidenter, quod ſuprapoſita verba tua in frontiſpicio libri tui allegaveris ut S. Scripturæ: propoſuiſti enim ea ex oppoſitô aliarum propoſitionum univerſalium à Te in eodem frontiſpiciô Nodi tui adductarum, & quas illas dicis, in quibus Thomiſtæ non admittunt ſecundum Te exceptionem, ac per conſequens propoſuiſti ea ut ejuſdem rationis cum ijſdem: atqui, ut ex frontiſpicio eodem patet, propoſitiones illæ ſunt propoſitiones S. Scripturæ: ergò & ex oppoſitô inductæ ut propoſitiones S.Scripturæ allegatæ ſunt; ac per conſequens, inter illas etiam univerſalis illa, *Omnes erraverunt ab utero & locuti ſunt falſa.* Atqui ut fortius hoc argumentum ſtringamus, connecto frontiſpicium ſeu principium libri tui cum ejuſdem fine, cum eô, inquam, quod habes fol. 706. ubi expreſsè ante univerſalem illam tuam, *Omnes erraverunt* &c. præfigis hæc verba; *Dicit enim Scriptura*: & ex eô, quod folio illo 706. prædictam univerſalem adduxeris ut Scripturæ, convinco quod & in frontiſpicio tuo ut talem eam adduxeris; utrobique enim ad idem intentum, & in eodem ſenſû illam tuam univerſalem adduxiſti, ut videlicet intentum à Te contrà nos utrobique Nodum faceres. Quæ omnia ulteriùs confirmari poſſunt ex eo, quod aliæ propoſitiones, inter quas adducis ſæpè

 jam

jam dictam universalem tuam, reipsâ sint Scripturæ: ergò & eam tanquam similis cum eis rationis adduxisti: & per consequens etiam ut Scripturæ. Quod cum ita sit, cum hujusmodi universalis non habeatur in Scripturâ, sed hæc solum dicat; *Alienati sunt peccatores à vulvâ, erraverunt ab uterô* &c. usque nunc convinceris falsificasse Scripturam in frontispicio libri tui. Huc usque prima replica ad primam responsionem tuam. Quod spectat ad secundam, quod scilicet ne quidem falsificasses Scripturam, etsi supra dicta verba in frontispicio allegasses ut Scripturæ, atque etiam in ipso titulô libri tui, ante inductas ibi universales dixisses; *Dicit enim Scriptura*, uti dicis fol. 706. ex eô, quod primum & immediatum suprà quod caderet citatio Scripturæ, reipsâ habeatur in Scripturâ, hoc utique. *Omnes nos quasi oves erravimus*; ex quô salvaretur veritas citationis, etsi mediata tua propositio, hæc videlicet; *Omnes erraverunt ab uterô & locuti sunt falsa*, non haberetur in S. Scripturâ. Quod, inquam, spectat ad secundam hanc responsionem, laudarem subtile effugium, nisi foret simile huic, quod videlicet aliquis se diceret non esse mentitum, qui post unam propositionem affirmativam veram, dixisset alteram falsam, ipsius affirmatione solùm afficiente propositionem primam & immediatam veram. Quô quid ineptius? hac proindè secundâ tuâ responsione neglectâ, ex eô quod ridicula sit, sic progredior ad tertiam. Quod verò ad eam attinet, peto mihi probari, quod illa eadem universalis tua habeatur saltem secundum sensum in S. Scripturâ. Si enim sic habeatur, inquiro, quô id locô? an in locô aliquô distinctô ab alijs simul cum eâ adductis universalibus, an verò in eodem? quod si eodem locô, multiplicasti universales regulas sine fundamentô; cum hæc universalis tua, *Omnes erraverunt ab uterô &*

*locuti sunt falsi*, prout sic non poneret in numerô cum alijs universalibus à Te numeratis. Quod si verò habeatur locô distinctô, allega locum, si potes, præter Psal. 57. in quô ferè verbo-tenus illa eadem universalis tua continetur, dicente illic Davide; *Alienati sunt peccatores à vulvâ, erraverunt ab uterô, locuti sunt falsi*. Quod autem spectat ad Psalmum illum 57. dico asseveranter; in eô prædictam tuam universalem non tantùm non litteraliter, sed nec quoad sensum contineri: dicere enim, uti dicis; quod in illô versiculô; *Alienati sunt peccatores à vulvâ* &c. quod (inquam) *ly peccatores* supponat pro omnibus hominibus, nugari est; & directè contradicere textui, & Spiritui Sancto in textu: enimverò loquitur Scriptura de illis alienatis à vulvâ, super quibus ibidem prædicit David, quod *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*: Quod *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*: Et quod *sicut cera, quæ fluit, auferentur*, uti patet sine ullâ apparentiâ possibilis contradictionis ex contextu totius Psalmi, imò ex ipsâ litterâ. Sed non omnium hominum Deus conteret dentes in ore eorum: non omnes homines ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens; non omnes tanquam cera, quæ fluit, auferentur: igitur locus ille; *Alienati sunt peccatores à vulvâ, erraverunt ab uterô* &c. non est intelligendus universaliter de omnibus hominibus. At verò quid inde? veritas videlicet asserti mei, quod universalis tua Pater Reverende quam proposuisti ut Scripturæ; ne quidem quoad sensum contineatur in Scripturâ, & quod per consequens versus ille inductus à Te in Nodi tui titulô, maneat reipsâ falsificatus. Hæc de primô, ex quô me deprehendisti Professorem Philosophiæ ignarum.

Quod spectat ad secundum, id quod superius dixi, nunc breviter probo, confecisse te videlicet in intrödu-

troductione operis tui indoctè usque ad stuporem syllogismum in quatuor terminis, velut præcipuam tamen basim totius Nodi tui. Priusquam verò id præstitero, ne contendamus de vocibus, quæro prius à Te, an noveris quid sint tres illi termini syllogistici, quibus constare debet syllogissimus; seu argumentum? Sed indignaris hujusmodi prima rudimenta Summularum exquiri à Te: ad redimendam nihilominus, ut puto, vexam, in Nodo tuo Indissolubili 2. impressionis humilias Te ad respondendum petitioni meæ, & dicis; *Lector ille Iubilatus & à vobis suggillatus, scit quid sit argumentum, & quod debeat constare tribus solùm terminis & non quatuor, scil.* MAIORI, MINORI ET CONSEQUENTIA: *Omnia ista à multis annis didicit & docuit ille Lector Iubilatus Minor.* Itáne verò hoc à multis annis docuit Lector aliquis Jubilatus Minor? ego verò Philosophiæ Lector non sic: in Philosophiâ enim Thomisticâ, imò & quacunque aliâ hîc saltem in Belgio, tres termini syllogistici non tres propositiones quibus constat syllogismus, seu non *Maior, Minor, &* CONSEQUENTIA; sed major extremitas, minor extremitas, & medium, cum quô quod extremitates illæ uniantur in præmissis, in conclusione uniuntur inter se. Quod si in hac parte Philosophiæ quidam ignarus Lector, docuerit Theologiæ Lectorem Jubilatum rudimenta Summularum, non propterea inaniter exultat, hoc solô contentus, quod in hoc saltem punctô inventus fuerit non ignarus.

His necessariò prænotatis (deficerem enim in probatione, suppositô quod in Scholâ Scotisticâ tres termini syllogistici essent tres propositiones syllogisticæ, cum totidem & non pluribus constet syllogismus tuus) his, inquam necessariò prænotatis, procedo nunc ad rem. Sed ut suspicor antecedenter & tu interpellas me in eodem Nodô tuô dicens; *Quod vicissim*

*aliquid desiderat scire Lector ille Jubilatus Minor, à Professore isto Philosophiæ Maiore, qui docet rudimenta Summularum* LECTORIBUS JUBILATIS, *ut videlicet dicat quot funiculos debeat habere Nodus? si hoc diceret Pater iste Professor Philosophiæ, procul dubio rem mirabilem enodasset, & Lector Jubilatus ore apertò audiret, & disceret.* Requisitus, non ut à me Philosophiæ Professore addiscat aliquid Lector Jubilatus, ex Philosophiâ meâ Thomisticâ (neglectâ syntaxi juxtà quam *doceo* regit accusativum) ad Petitionem sub distinctione respondeo; Nodum aliquem qui sit syllogismus, non nisi tribus, qui syllogismus non fuerit, posse constare etiam quatuor. Non possum malè pro priore saltem parte distinxisse, cum apud Te etiam, uti jam vidimus, in confessô sit, quemcumque syllogismum (qui hôc ipsô quô syllogismus, etiam Nodus quidam est) non possit constare nisi tribus terminis; ac per consequens nisi tribus funiculis. Ex hoc descendo jam ad probam assumpti mei, & dico. Omnis ille format syllogismum in quatuor terminis, qui ponit aliquem terminum in conclusione, qui non fuit in præmissis. Atqui Pater de Alva formavit hujusmodi syllogismum. Ergo &c. Probatio Minoris videatur in hoc libello fol. 5. & 6. Quid intereà ad hanc consequentiam quæ in *Darij* directè infertur Pater Reverende? in Nodô tuô sæpius jam citatô, ablegas me ad Scholam meam dicens; *Pater Professor pulsatum est ad Scholam, quia liber iste non vocatur, nec agit de Argumentis, sed de Nodis.* Si benè capio, vis dicere quod discursus tuus in quô ostendo quatuor terminos, syllogismus non sit seu argumentum, sed Nodus; & propterea ad scholam syllogismorum seu argumentorum ablegas me. Ego verò etsi pulsatum foret ad scholam, pulsum istum facilè dimittam, ut ad inanem sonum responsionis tuæ attendam. Igitur Pater Reverende in hoc

stat responsio tua; quod discursus tuus in quô reipsâ, uti ipsemet fateris, reperiuntur quatuor termini, argumentum non sit seu syllogismus, sed tantum Nodus, qui constare possit plusquam tribus terminis, quamvis pluribus constare non possit syllogismus; atque illis ita stantibus, injustè diffamatum Te tanquam argumentatus esses à disparatis & in quatuor terminis. Verùm ad hanc tuam responsionem; nihil replicat ignarus Philosophiæ Professor ille, quàm quod miretur quod verba tua tam citò tibi exciderint. Numquid enimverò inter nos agitur de discursu illô, quem habes Fol. 12. Introductionis Nodi tui? profectò non de aliô, de illô enim solô in speciali egi contra Te in primô foliô libelli mei. Et verò discursus ibidem allegatus an syllogismus est & argumentum, an verò Nodus? ut vidimus, Nodus (inquis) est: non argumentum. Ego verò iterum repeto mirari me quod verba tua tam citò tibi exciderint. Numquid discursum illum tuum vel propriô calamô *Argumentum* intitulasti? numquid hæc sunt verba tua, quæ habes fol. 12. Introductionis Nodi tui relata ad immediatè ibidem subsequentem discursum, de quô modò est controversia, ubi postquam proposuisses argumentum aliquod S. Thomæ quo probabatur D. Virginem sanctificatam in uterô, sic assumis & deindè infers; *Si hoc argumentum valet positum à S. Thomâ, hoc etiam nostrum erit concludens, quia in eadem materiâ, formâ, figurâ, ac dispositione syllogisticâ?* numquid ulterius hæc sunt verba tua, quæ habes immediatè post eundem discursum, & de eodem discursu tuo: *Argumentum hoc quoad maiorem, est idem cum antecedenti factô à S. Thomâ; quoad minorem recipitur ab omnibus Thomistis: ergò quoad consequentiam est concludens?* Quod si hæc verba tua sint, quæ tam certò tua sunt, quàm sit *Nodus Indissolubilis* liber tuus,


quia

quia ad litteram contenta in Nodô, ante & retrò vallatus es, & in mediô convictus quod discursus ille tuus Nodus non sit, sed ex propriâ confessione *syllogismus & argumentum.* Atque ut in hac parte reducamus Te usque ad metam non loqui; exquiro à Te utrum discursus quem ex S. Thomâ eodem fol. 12. allegasti, utrum (inquam) argumentum sit, an Nodus? utique argumentum est, quia hic ipse quoad litteram sicut à Te refertur in Introductione operis tui. *Virgo Maria quia dignior, purior &c. omnibus alijs, debet habere & continere in se omnis sanctitatis splendores, puritatis excellentias &c. quæ coniunctim, vel sparsim, reperiuntur in aliquo ipsorum: sed aliquibus Sanctis, ut Ioanni Baptistæ & Hieremiæ, fuit collata gratia illa singularis, & speciale privilegium, ut in uterò matrum suarum sanctificarentur: ergò etiam hæc gratia, & privilegium fuit Matri Sapientiæ concessum.* Hic est discursus S. Thomæ: quod si verò ipsius sit sicuti re ipsâ est, *argumentum* profectò est, quia syllogismus in *Darij.* Ex quô irrefragabiliter convinco confecisse Te sæpiùs jam citatum discursum tuum (de quô controversia est an Nodus sit, an argumentum) *per modum syllogismi & argumenti*, imò ut *argumentum* à nobis *insolubile*. Enimverò discursum illum tuum discursui S. Thomæ suprà relato similem esse, & eodem modô cum eô ex vi formæ concludere, uti vidimus, protestaris: atqui discursus S. Thomæ, uti etiam prænotavimus, & certum est, syllogismus est & argumentum in *Darij*: ergò, ut & tuus talis foret, intendisti: ergò non Nodum solùm, sed *argumentum* ex vi consequentiæ concludens, vel *syllogismum demonstrativum* putasti Te conficere. Quod si *syllogismum*, judicet quicunque inpassionatus Lector, an fol. 5. opusculi mei fuerim Philosophiæ Lector ignarus, dum in discursu tuo syllogisticô demonstravi quatuor terminos. Sed de hoc satis, ut si quæ possit,

superſit Tibi reſpiratio, quam tamen ſperem non impediendam per alteram hanc, quam ad Te habeo, admonitionem, ut videlicet, caſu quô pro tertiâ vice reimprimere intendas Nodum tuum Indiſſolubilem, ut (inquam) ſinceriùs agas cum libri tui lectoribus, quàm cum ijs egeris in ſecundâ impreſſione ejuſdem Nodi tui, in quô contrà propriam ſcientiam, & conſcientiam reimpreſſiſti tanquam vera; quæ proprijs oculis deprehendiſti fuiſſe falſa, & à Te ſine veritate dicta: ut (inter cætera) quod Bartholomæus Spina intruſerit in 3. ſent. Sancti Thomæ hæc verba; *Sed nec in ipſo inſtanti infuſionis*, cujus contrarium proprijs oculis vidiſti in Abbatiâ Parcenſi: Deindè quod ſit falſiſſimum, quod Sanctus Thomas unquam ſolvat *Argumentum ſed contrà*, cujus itidem contrarium in *XVI. Argumentis ſed contrà* ego ipſe Tibi oſtendi per R. P. Petrum de Vrieſe S. Theol. apud vos Lectorem: quæ omnia nihilominùs, ne fortaſſis fidem tuam perderes apud tuos, non obſtante notitiâ erroris tui, audacter denuò curaſti imprimi. Hujuſmodi profectò factum non ſapit ſinceritatem religioſam, & multô minus humilitatem; humilitas enim errorem agnoſcit ubi eſt, non eum celat, &, quod pejus eſt, non proponit falſum ut tale cognitum, tanquam verum. Huic duplici admonitiunculæ meæ, ut expediam, ſuperaddo hanc tertiam; ut ſi reſpondere volueris huic libello meo, non arripias minimæ quædam puncta difficultatis, ſeu quæras nodum in ſcirpo, urſurus v. g. quod ſubindè erraverit typographus in citationibus, & non rarò in impreſſione, vel quod ſubindè non adeò obſervaverim legalitatem fortaſſis verborum, ſed aliquandò locô unius *autem* poſuerim unum *verò*, vel locô unius *rogare* unum *ſciſcitari*: ſed arripias puncta ſubſtantialia, v.g. quod hiſtoria illa de S. Patre veſtro Franciſco approbante

bante doctrinam S.Thomæ, adhuc maneat ficta, non obstante quod ea reperiatur, ut posteà videbimus, manuscripta à ducentis & amplius annis hic in Belgio, in libris R. D. Gielemans, ex quo cum in Hispaniam translata censeri non possit, nullô ex Scriptoribus Hispanis se remittente ad prædictum D. Gielemans, & in Hispaniâ tamen apud plures multis abhinc annis nota fuerit, & illic quoque antiqua aliqua pro se manuscripta habere debuit. Hæc Pater tetigeris & similia: quod si feceris, ambabus manibus responsionem tuam amplectar, modò prægnantior ea imposterum fuerit, quàm sit responsio tua ad duas objectiones meas, de quibus suprà egimus: quæ quàm frivolæ fuerint jam patet apud quemcunque usque nunc tecum habiti discursûs lectorem. Sed & prægnantior sit & veracior, quàm Nodus tuus 17. quem superintrusisti in secundâ impressione libri tui, quem licet non alleges contrà me per modum responsionis, nihilominus tamen respondet Nodo XVI. libelli mei, in quo ego magnifico Elogium ab Alexandro VII. Sancto Thomæ datum, quod tu in Nodo tuo 17. secundæ impressionis, totaliter conaris destruere, ibidem contrà veritatem dicens, quod verba illa, INCONCUSSA TUTISSIMAQUE DOGMATA, dicta de doctrinâ S. Augustini & D. Thomæ non sint Summi Pontificis Alexandri VII. sed Doctorum Lovaniensium, quæ ipsi interseruerunt epistolæ suæ transmissæ ad Pontificem, & quæ Pontifex ut illorum dumtaxat assumsit in brevi suo, seu in responsorijs suis ad eandem eorundem epistolam. Prægnantior (dico iterum) & veracior sit quam hæc responsio; cum ego sciam ex ipsâ epistolâ Facultatis Theologicæ transmissâ ad Pontificem, & registratâ in librô actorum Universitatis Lovaniensis à nobis visâ & perlectâ, quod in eâ prædicta verba nullatenus habeantur: ex quo

manifestè deducit, prædicta verba esse ipsius Pontificis Alexandri; & ex consequenti, ex ipsius judicio, INCONCUSSA esse TUTISSIMAQUE S AUGUSTINI ET D. THOMÆ DOGMATA; seu eorundem, non in rebus fidei dumtaxat, sed etiam in re cum scholasticâ, tùm morali, doctrinam: quam, etsi Pontifex NOVA COMMENDATIONE dixerit PLANE NON EGERE, de novo tamen, suprà quàm dici possit, commendavit, dum à novâ commendatione abstinuit, ex eô quod eorundem Sanctorum nomina OMNEM LAUDEM SUPERGRESSA judicaret, & diceret. His perlectis, ad lectionem opusculi mei tibi procedere nunc licet, si lubet.

# SPECIMEN MATERIÆ QUÆ IN HOC LIBELLO DILUITUR.

## Intentio Authoris Contrarij est, totaliter destruere omnem authoritatem D. Thomæ.

PAtet hoc ex his ejus verbis §. ultimo Introductionis sui operis. *Vnde resolutio ultima huius opusculi erit demonstrare nullam hucusque nec fuisse in Ecclesia Dei, nec esse approbationem 1. 2. vel tertiæ classis, recipientem aut qualificantem opera doctrinam, & sententias Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, tamquam purè Catholicas, omnino veras aut necessariò infallibiles secundum se totas nec secundum aliquam ipsarum partem: fuisse tamen, & esse plures de ea prolatas*

*latas laudes, prærogativas, excellentias, elogia & encomia varia, quorum aliqua inveniuntur absolutè falsa, alia dubia, & paucißima vera.* Similia verba etiam habet fol. 806. primæ, secundæ verò editionis fol. 682. Ubi adhuc plus audet, dicens: *nullam vel rarißimam approbationem Doctrinæ D. Thomæ esse veram & illam in multis esse vitiatam.* Vide hunc libellum fol. 3.

Ut posset S. Thomas censeri erraſſe in fide, dicit id ipsum dici posse sine ulla censura de Apostolo Petro, quod videlicet, etiam ipsius doctrina sit in aliqua sui parte in fide erronea.

Patet hoc ex his ejus verbis fol. 49. primæ, secundæ vero editionis fol. 16. *Nec discursus ille Universitatis* (loquitur de Parisiensi) *circa doctrinam B. Petri meretur ullam censuram, neque est durus*: discursus autem Universitatis ijsdem folijs adductus, fundatur & resolvitur in hæc verba formalia *capiendo doctrinam B. Petri pro omnibus ad fidem pertinentibus, quæ verbo aut facto docuit, constat quòd huiusmodi doctrina in aliqua sui parte fuit in fide erronea, scilicet in ea parte in qua Paulus Apostolus eum reprehendit.* Vide hunc libellum fol. 25.

Ut de facto proponat S. Thomam ut in fide erroneum, dicit eum condemnatum quoad

ducen-

ducentos viginti duos articulos, quorum primus est *Deus non est trinus & unus.*

Patet hoc ex his ejus verbis, quæ habet fol. 238. primæ, secundæ vero editionis fol. 236. *Multo durior est ex alia parte (scilicet funiculus) quod defensores sententiæ immaculatæ conceptionis---non possint clamare imo nec mussitando dicere doctrinam S. Thomæ fuisse quoad 222. articulos reprobatam, & condemnatam, & sub excommunicationis pœna exclusam à scholis &c per Stephanum Episcopum Parisiensem.* Idem adhuc clarius dicit fol. 238. ubi addit quod de *Eo nulla possit esse dubitatio*; quod ita constet ex instrumentis authenticis, quæ tamen nullibi allegat. Quod verò primus illorum articulorum sit iste: *Deus non est trinus & unus*, patet fol. 165. primæ, secundæ vero editionis folio 183. ubi loquens de 222. articulis per Stephanum Parisiensem condemnatis, sic habet. *Catalogus errorum seu propositionum damnatarum, quarum prima est Quod Deus non est trinus & unus.* Vide hunc libellum fol. 53.

Ut de facto S. Thomam proponat ut erroneum in Doctrina, dicit eum gravissimis scatere erroribus, etiam formalibus.

Patet hoc f. 553 primę editionis. ubi sic habet: *Sed hic obiter nota quod licet opuscula Angelici*

Docto-

*Doctores habeant aliquos errores magni momenti, hoc contra errores Græcorum scatet gravissimis: quomodo autem illud approbaverit Christus, cum non sit errorum approbator Deus, non habebit adeò expeditam solutionem.* Vide hunc libellum fol. 103.

Dicit Doctrinam D Thomæ parum, vel nihil utilem pro fidelium juvamine, & in ordine ad eorum beatitudinem.

Patet hoc fol. 697. primæ, secundæ vero editionis fol. 590. & 591. ubi etiam irreligiosissimè à S. Thoma tollit datum ei à Clemente VIII. epitheton DIVINÆ VOLUNTATIS INTERPRETIS, his verbis. *Omnes Doctores Catholici Magistri, & concionatores, divinæ voluntatis sunt Interpretes, quando docent ea quæ ad salutem animæ spectant: imo pro hic & nunc potiori iure Robertus Bellarminus appellandus esset Interpres divinæ voluntatis, quatenus doctrinam Christianam in suo catechismo ad formam & methodum redegit, quam bene S. Thomas, quia ipse* TANTUM NON FECIT. *Quis enim in rei veritate potest dici Interpres divinæ voluntatis? an ille qui edidit librum vel libros scholasticos, in quibus solum continentur quæstiones Metaphysicæ & Theologicæ, ubi omnes sunt subtilitates parum vel nihil conducentes ad nostram beatitudinem, an qui docet ea quæ credenda sunt? &c.* Vide hunc libellum fol. 178.

Per totum librum suum explodit S. Thomam & Doctrinam ejus, & inter cætera fol. 53. primæ: secundæ verò editionis fol. 20. ubi super doctrina S. Thomæ irreligiosissimè discurrit, sumpta occasione ex eo; quod in titulo alicujus Summæ D. Thomæ dicitur; quod in ea habeatur Ecclesiæ Catholicæ doctrina universa, & quidquid in veterum Patrum monumentis est dignum observatu.

Patet hoc ex his ejus verbis, ijsdem folijs adductis: *In unica & sola Summa Sancti Thomæ extat & reperitur. Ecclesiæ Catholicæ doctrina universa. Volue & revolue, considera ac perpende quidquid in veterum Patrum monumentis est dignum observatu: nam totum hoc reperies in Summa S. Thomæ. Quidquid in operibus Augustini, Ambrosij, Hieronymi, & cum istis enumera omnes alios Ecclesiæ Doctores, & omne quod in ipsis observatione dignum est, continetur in Summa Sancti Thomæ. Si aliquid quæras indignum, lege Sanctos & antiquos Doctores: sed si desideras habere solum digna & proficua, quæ observationem specialem mereantur, non teras tempus in evolvendis SS. Doctoribus, lege tantùm Summam Sancti Thomæ, eique stude, & alia relinque ut indigna, quia in Sola illa extat quidquid in vetrum Patrum monumentis est dignum observatu.* Vide hunc libellum fol. 29.

Per

Per totum librum suum juxta resolutionem suam supra intimatam, in executione sibi tamquam Fisco addicit omnem possessionem gloriæ D. Thomæ, ita ut nec minimum doctrinæ ejus attributum elogium, immisericorditer ei non surripiat, vel saltem transire non patiatur, sine gravissimo continuæ contradictionis tributo.

Patet hoc per totum hunc libellum, ad cujus attentam lectionem benevolum Lectorem invito, postquam percurrerit hoc sequens Sancti Thomæ Elogium hic insertum, ut contraria juxta se posita magis elucescant.

---

## ELOGIUM
## S. THOMÆ AQUINATIS.

*THOMAS Angelus erat, antequàm esset Doctor Angelicus:*
*Angelorum Discipulus, & penè æmulus fuit:*
*Multa ab Angelis didicit, quædam Angelos docere potuit.*
*Aut Theologiam ad terras deduxit è cælo,*
*Aut scivit in via quod videtur in patria:*
*Audivit Apostolus arcana verba, sed illa tacuit:*
*Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit:*
*Mysteriorum compendium est Summa Thomæ,*
*Collegit in ea quidquid doceri potest aut sciri:*
*Inclusit Hieronymos, Augustinos, Ambrosios, Gregorios;*
*Inclusit seipsum major seipso & minor:*
*Epitomen fecit alienæ sapientiæ & Summam suæ.*
*Didicit omnes qui Thomam intelligit,*
*Nec totum Thomam intelligit qui omnes didicit.*
*Augustinus aliquando obscurus, apud Thomam est clarus.*
*Ubi alij dubitant, Thomas non ambigit:*

*Ubi omnes desinunt, inde incipit:*
*Inde progressus eò ascendit quò nemo præiverat.*
*Sequitur præviam fidem, & eam ducit:*
*Sociam facit Teologiam fidei & Magistram,*
*Ostendit quidquid illa credit,*
*Neque aliud superest nisi lumen Gloriæ, post Summam Thomæ.*
*De Deo sic loquitur quasi vidisset:*
*De Angelis sic disputat quasi Spiritus esset:*
*Ingenerat horrorem peccati dum ostendit:*
*Amabiles facit virtutes dum describit:*
*Incarnatum Verbum sic explicat quasi vox Verbi.*
*Siste aliquando Thoma, pervenit ad summum Summa tua;*
*Ire ulteriùs non potes, nisi aliquid quæras post omnia.*

Benè scripsisti de me Thoma.

*Probat scripturam hominis qui character est Patris:*
*Silete linguæ, ubi Deus laudator est;*
*Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.*
*Appellent homines Thomam Angelum Theologiæ,*
*Dicant Pontifices Summam tot miraculis constare, quot titulis;*
*Plus dicit una vox* benè.
*Christus est verbum Patris, Thomas adverbium Filij*

Quam ergo mercedem accipies?

*Quàm benè scripserit, collige ex testimonio;*
*Quàm benè vixerit, disce ex præmio;*
*Ut scias meritum virtutis, datur optio præmij;*
*Quid eligat nisi Deum qui novit pretium Dei?*
*Nec potuit eligere majus, nec debuit minus:*
*Malè scripserat si aliter elegisset.*

Accinebat olim R. P. PETRUS LABBE Societatis Jesu.

CATA-

# CATALOGVS

*Seu Collectio contentorum, in frontispicio,* NODI INDISSOLVBILIS, *& ipsius ad lectorem Præfatione, quam R. P. de Alva vocat introductionem operis.*

IN ipso titulo libri falsificat S. Scripturam Psal. 57. citans hæc verba: *Omnes erraverunt ab utero & locuti sunt falsa* : ut haberet vniversalem, ex quâ componeret hunc Nodum: Thomistæ benè inveniunt exceptionem ab vniversalibus fidei pro S. Thomâ, & nolunt admittere exceptionem ab universalibus fidei pro Matre Dei. Falsificat, inquam, Scripturam, cum Scriptura, sive in textu Hebraico, sive Chaldaico, Græco, seu Latino, & in hoc ultimo quidem, tam secundum versionem vulgatam, quam ipsius Hieronymi, dicat: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, & locuti sunt falsa:* unde ly *Omnes*, addidit de proprio. Et quasi non suffecisset semel in titulo libri, hanc suam falsificationem imposuisse, eamdem repetit fol. 8. & 9. introductionis operis, sicut & fol. 706. ubi expresse fatetur (& hoc notet Lector, ne detur excusationi locus) se illa verba adducere tamquam verba Scripturæ, dum ibidem ait: *Dicit enim Scriptura: omnes nos quasi oves erravimus &c. omnis erraverunt ab vtero & locuti sunt falsa.* Nec excusabilis est, quod etiam duas alias vniversales in titulo inducat, quæ re ipsa habentur in Scriptura, hanc videlicet: *Omnis homo mendax* ex psal. 115. & alteram ex psal. 13. *Omnes declinaverunt:* hoc enim non obstat, quin versus ille ex Psal 57. nefariè maneat falsificatus. Et quidem quoad alias duas

inductas vniversales, & quascumque similes Scripturæ, manifestum est ex omnibus tam Sanctis, quam non sanctis Scripturæ Interpretibus, & patet ex ipsis-met textibus, illic non fieri vel minimam mentionem de errore doctrinæ, sed de errore peccati, a quo S. Thomam non excipimus: præterquam quod non loquantur de quibuscumque peccatis, sed ut in plurimum de peccatis gravissimis, ut patet præcipuè ex illo versu Psalm. 13. *Omnes declinaverunt:* immediatè enim post illa verba in eodem sensu sequitur: *simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, &c.* Vndè si Pater de Alva vniversales illas de generalitate hominum velit intelligi, involvit S. Thomam per blasphemiam impijssimis peccatoribus: nec S. Thomam tantum, sed etiam quemlibet Sanctorum.

Verum de industria ponat librum suum impressum Anno 1661, ubi nos scimus quod adhuc sudaret sub prælo, Anno 1662, non tangimus.

In dorso tituli ostendit intentum suum esse deprimere D. Thomam, dum ibidem recitat rem gestam a Ioab 2. Reg. cap. 20. qui non intendebat destruere muros civitatis Abelæ quam obsederat, sed solum quærebat caput Sebæ filij Bochri, quod levasset manum suam contra Regem David, qui fugerat in Abelam. relinquit Pater de Alva applicationem faciendam cuicumque etiam indocto, quia claram: quod videlicet ipse non quærat destructionem murorum Ordinis nostri, qui recte dici potest Abela, id est, domicilium virorum sapientum, teste Cornelio à lapide: sed solum caput seu depressionem S. Thomæ quasi levaverit manum suam seu calamum, contra

contra Mariam. Et quidem quod hujusmodi applicationem relinquat nobis faciendam, imo etiam intendat fieri, sufficienter indicat, dum post verba illa ipsius Joab à se relata, quæ sunt hæc *absit absit hoc à me, non præcipito neque demolior* ponit unum *&c.* quod idem est ac dicere: & reliqua, saltem usque ad consummatum scripturæ sensum. Verba autem immediatè sequentia sunt hæc. *Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim, Seba filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David, tradite illum solum & recedemus à civitate.* Cæterum cùm seipsum æquiparare videatur ipsi Joab, hoc desit fundamentum in nomine, Joab enim interpretatur *paternitas*; ipse vero seipsum in frontispicio sui libri intitulat, *totius Religionis Minorum Patrem:* timeat, ne adinstar alterius Joab, licet & ipse fugisse videatur in Tabernaculum Domini, & tenere cornu altaris, dum quidquid scribit, putat se scribere, sub protectione, quia pro protectione, Tabernaculi Dei viventis sacratissimæ MARIÆ virginis, & pro aris & focis; timeat, inquam, ne cælestis ille BANAIAS, qui interpretatur Intelligentia Domini, ne Divinæ voluntatis *Interpres*, de mandato cælestis Salomonis, qui licet pacificus, exardescit tamen contra eos qui tetigerint Christos suos; percutiat se gladio non levis maledictionis, ne deducat canitiem suam pacificè ad inferos: sicut terrenus Banaias de mandato terreni Salomonis, peccussit Joab in ore gladij, in Tabernaculo Domini, tenentem cornu altaris.

Et vero se intendere depressionem S. Thomæ & per consequens, petere Sancti caput, jam non in parabola, sed palam eloquitur fol. 17. introductionis operis sui §. *unde resolutio ultima.* Ubi sic habet: *unde resolutio ultima hujus opusculi erit, demonstrare, nullam hucusque fuisse, in Ecclesia Dei, nec esse approbationem*

*formalem, primæ, secundæ, vel tertiæ classis, recipientem, aut qualificantem opera, doctrinam, & sententias Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, tamquam purè Catholicas, omnino veras, aut necessario infallibiles, secundum se totas, nec secundum aliquam ipsarum partem. Fuisse tamen, & esse, plures de ea prolatas laudes, prærogativas, excellentias, elogia, & encomia varia, quorum aliqua inveniuntur absolutè falsa, alia dubia, & paucissima vera.* Simile dicit fol. 806. his verbis: *Ego aliâ viâ incedo, demonstrando ex ipsorum citatis instrumentis, elogia, seu approbationes adductas pro doctrina S. Thomæ, fere omnes esse fictas; & falsas, aliquas dubias, & incertas, nullam, vel rarissimam veram, & illam in multis viciatam.* Ad hæc; si Bucerus modo viveret cujus hæc verba referuntur; TOLLE THOMAM ET DISSIPABO ECCLESIAM; utique exultaret in verbo Patris de Alva, sperans petitionem suam per eum adimplendam, qui dum intendit omnes laudes, prærogativas, excellentias, elogia & encomia Angelici Doctoris tollere & ostendere esse ficta: in intentione Thomam tollit, & in executione, assumit tollendum. Et vero quis ille est qui intendit omnia D. Thomæ elogia tollere? R. P. De Alua & Astorga, is dico, qui Bruxellis imprimi fecit Trutinam Marianam; in qua de sua persona passus est (nec enim auderem dicere quod, ipse-met intruserit) & inter cætera fecit imprimi, hæc verba formalia: *P. F. Petrus de Alua & Astorga in suo libro novissimè edito, sub titulo, Nodus indissolubilis de conceptu mentis, & de conceptu ventris, de quo* TOT MEREBATUR ELOGIA, QUOT LITTERAS HABET, *Nodo tertio dicit se invenisse &c.* Mirum profecto, quod qui de se talia, & adeo adulatoria, ne quid amarius dicam, dici patitur, & de se imprimi facit, S. Thomam possidere non patiatur 14. vel 15. elogia, sed & hæc paucula, quæ in computationem

venire

venire non possunt cum mille millionibus elogiorum quæ meretur ( tot enim meretur quod in absurdo suo Nodo litteras habet ) iterum dico, & iterum mirum, quod & hæc paucula Sancto Thomæ detrahere intendat. Et hanc quidem suam intentionem, reducit ad divinam sibi communicatam manifestationem, fol. 5. introductiones operis. Ubi sic loquitur: *Post diurnam, maturam, continuam meditationem, & studium, placuit benignitati divinæ, manifestare hanc novam, planam, securam, facilem, compendiosam, & irrefragabilem viam, ad probandum clarè, patenter, atque ad hominem, Dei Matris Mariæ purissimam, ac immaculatam conceptionem.* Terminus bonus est: sed quæ est ista via, ad ipsum? illa, quam ibidem & subsequentibus aliquot folijs adfert, ut videlicet relictâ Scripturâ Sacrâ, *pro ea usurpet* ( nota hunc ejus terminum ) Scripturam Angelicam S. Thomæ: uno verbo, ut impugnaret, & detraheret Sancto. Hanc manifestationem processisse à divina benignitate, & speciali placito, tunc demum credam, postquam credidero, blasphemarum intentionum esse inspiratorem Deum, quod, ne blasphemus sim, non credam in æternum.

Fol. 12. ponit hunc syllogismum, deductum ( ut loquitur) ex principijs D. Thomæ: *Virgo Maria Mater Sapientiæ, quia dignior, purior, sanctior, atque excellentior omnibus alijs, cujuscumque classis sint, debet habere, & continere in se omnes sanctitatis splendores, puritatis excellentias, &c. quæ conjunctim, vel sparsim reperiuntur in aliquo ipsorum. Sed aliquibus Sanctis, ut Ioanni Baptistæ, & Ieremiæ, fuit collata gratia illa singularis, & speciale privilegium, ut in utero matrum suarum sanctificarentur: ergo etiam hæc gratia & privilegium sanctificationis in utero fuit Matri Sapientiæ concessum.* Fol. verò 13. paulò post medium: *Si hoc* inquit, *argumentum valet positum à S. Thoma, hoc*

*etiam nostrum eodem modo erit concludens, quia in eadem materiâ, figurâ, ac dispositione syllogisticâ, imò etiam iisdemmet verbis dispositū: Virgo Maria mater Sapientiæ, quia dignior &c. omnibus &c. debet habere, & continere in se omnes sanctitatis splendores, puritatis excellentias, quæ &c. Sed Angelico Doctori &c. est concessum illud privilegium, &c. ut ejus mentis conceptus, doctrina, &c. sint illibata, sancta, &c. Ergo ista etiam debent convenire Matri Sapientiæ, Vigini Mariæ in suo conceptu ventris.* Et pergit: *Argumentum hoc quoad maiorem est idem cum antecedenti facto à S. Thoma; quoad minorem recipitur ab omnibus scriptoribus Ordinis Prædicatorum: ergo quoad consequentiam est concludens.*


Hic est syllogismus, hic Nodus Indissolubilis Patris de Alva. O Nodum Indissolubilem! Verè indissolubilem; quia nec Nodus est. Syllogismus enim aliquis non dico, ut indissolubilis, sed, ut Nodus sit, non potest constare nisi tribus terminis; nec in conclusione potest poni aliquis terminus, qui non fuerit in præmissis. Ad hæc, qualis est suprà positus syllogismus tuus, Lector Jubilate? Cum enim sit hic ipse in substantiâ, sed brevioribus terminis; Omne privilegium, quod attribuitur alicui Sanctorum debet attribui D. Virgini: atqui D. Thomæ attribuitur immunitas mentis: ergo D. Virgini debetur immunitas ventris, argumentum est à disparatis, & in quatuor terminis; quia prædicatum conclusionis, *immunitas ventris*, nullibi fuit in præmissis. Scias proinde, quòd syllogismus tuus iste Nodus non sit: absit quòd esset Indissolubilis. Et in eo tamen, velut in cardine, volvitur totus liber tuus: in quo nil agis, nisi hujusmodi conficere consequentias, & argumentari à conceptu mentis ad conceptum ventris. Quod si verum sit, sicut est, nec omnes quindecim Nodi tui vel unicum Nodum conficiunt; sed scopæ sunt merè dissolu-

tæ.

tæ. Vide proinde quo jure Librum tuum *Nodum Indissolubilem* vocaveris: profectò non nisi jure præsumpto. Putasti enim te concludere, dum scopas coacervasti. Nec te excusaveris, quasi solùm argumentatus à simili, aut à pari: dum enim in formâ, & figurâ syllogismi S. Thomæ syllogismum tuum fabricari te dixisti; sicut ille, ita & tu ex vi consequentiæ argumentari debuisses, & inferre: Ergo & Divæ Virgini attribui debet immunitas mentis.

Hæc autem eo modo dicta sciantur, ut nec in minimo in ijs attigero Conceptionem D. Virginis. Nihil enim in ijs curavi de consequenti, sed solum de consequentiâ, tanquam Philosophiæ professor, cujusmodi est observare, & observari velle artem syllogisticam.

Lector autem ex his colligat profundam Philosophiam Patris de Alva, & ex præcedentibus mirari incipiat religiosam ejusdem erga S. Thomam observantiam; dum ab *Introductione operis* ego progredior ad Nodum primum.



# NODUS PRIMUS.

IN hoc nodo à folio 1. usque ad fol. 6. distinguit P. de Alva diversos gradus, quos in authoritate obtinent, diversa diversorum scripta, seu doctrinæ, quæ habentur in usu ab Ecclesia. Et primum quidem gradum, dicit obtinere Sacram Scripturam. Secundum Concilia generalia, & Particularia. Tertium, opuscula SS. Patrum, & Doctorum Orthodoxorum. Quartum Decretales Pontificum. Quintum Gesta SS. Martyrum. Post universos hos, dicit sequi Opuscula Doctorum scholasticorum; qui non dogmaticè docendo, sed scholasticè disputando scripserunt. Cæterum S. Bonaventuram & S. Thomam, licet qua scholastici solum sint in hoc ultimo gradu, qua sanctos tamen, collocat in tertio gradu inter SS. Patres videlicet, & Doctores Orthodoxos: & hoc, sane quidem & merito: tum vel maximè, quod uterque ille Sanctus, Sanctos Patres maximè veneratus sit; ex quo Cardinalis noster Cajetanus, non solum S. Thomam connumerandum putavit alijs Ecclesiæ Doctoribus, sed pro subtili suo ingenio dixit. 2. 2. q. 148. 2. 4. in fine. *Quia D. Thomas Sacros Doctores summè veneratus est, ideo intellectum omnium, quodammodo sortitus est.* Quod attinet ad tertium illum gradum, fatemur, quod S. Thomas eum non excedat: numquam enim comparavimus doctrinam D. Thomæ cum scriptura, vel Concilijs generalibus, quamvis P. De Alva nobis imponat temerè illam temeritatem ut videbimus in hoc modo circa folium 159.

A fol. 6. usque ad fol. 22. proponit diversos status quos habuit, Doctrina D. Thomæ, *ita ut sicut est liber de varia fortuna Aristotelis* (verba ipsius sunt fol. 2.)

*sic potuerit alter formari de varia fortunâ Doctrinæ D. Thomæ.* Opuscula enim S. Thomæ quæ in initio solum erant septem numero, admissa ut legitima, secundo sæculo creverunt (inquit) usque ad 20. & tertio sæculo ascenderunt usque ad 58. & modo circumferuntur 128. vel secundum aliam computationem 170. Opuscula item parva, ubi in initio tantum erant tria, creverunt usque ad 73. Quoad hoc, nescio cur à sexto illo fol. usque ad 22. vel ad quod propositum, tot verba multiplicet: etsi enim verum diceret, de quo non curamus, nihil diceret novi, nec aliquid inusitatum. Videmus enim indies prodire, & quidem interpollatè, diversa diversorum opera, quæ postquam aliquo tempore latuerant, extracta sunt in lucem: & nos quidem ad impressa B. Alberti Magni opera, non paucos tractatus requirimus: qui si inventi, mandarentur prælo, an fortassis eos, quod supervenirent libris jam impressis, liceret habere pro suspectis? non equidem: igitur nec opuscula D. Thomæ eo quod, successu temporis fortassis creverint.

Quoad id quod dicit P. de Alva modo circumferri 73. opuscula D. Thomæ, non imus inficias: impressa enim totidem inveniuntur in modernis operibus S. Thomæ: nec tamen omnia pro legitimis S. Doctoris admittimus, sed ea tantum quæ majoribus impressa caracteribus, id est 43. reliqua quæ minoribus caracteribus impressa sunt, juxta R. P. Pauli Nazarij regulam, nec reijcimus pro spurijs, nec pro legitimis admittimus, sed tanquam dubia acceptamus. Porro 43. opuscula illa majoribus caracteribus impressa certo esse D. Thomæ, non vero ea quæ impressa sunt minoribus, testatur Possevinus in Apparatu suo sacro dum ait: *Tantum tria supra quadraginta opuscula ejus genuina habentur.* Quod si 43. ergo

infundatè Colonienſis quidam triginta octo opuſcula ſub S. Thomæ nomine impreſſa, S. Thomæ ſubtrahere voluit, & adſcribere B. Alberto Magno tamquam legitimo authori: ſubtractis enim 38. de 73. ſolum remanerent 35. Excuſabilis tamen eſt, quod inconſideratius egerit in illa materia, pro Alberto, Germanus pro Germano, & Colonienſis pro Colonienſi: in S. Thomam non malevolus ſed Conventus ſui plus zelatus honorem quam judicium & veritatem. Et in hoc quidem egit contra communem torrentem ſcriptorum, præſertim S Antoninum, qui in 3. part. hiſt. uſque ad 40. opuſcula D. Thomæ recenſet quod verificari non poſſet ſi 38. opuſcula ex 73. B. Alberto attribuerentur. Cæterum quidquid tunc (ut modo nos expediamus) probabilitatis fuerit pro zelo relati Religioſi, id totum modo reprobatum eſt, poſt editionem Romanam operum D. Thomæ, factam & approbatam à Pio quinto, in qua prædicta 43. opuſcula ut legitima proponuntur.

Fol. 23. & aliquot ſequentibus, exautorizandis elogijs D. Thomæ, dicit ea ſemper fuiſſe excogitata, & extracta in lucem, tempore alicujus controverſiæ conceptionis, *ita ut promulgatio hujuſmodi elogiorum ſemper fuerit individua ac inſeparabilis ſocia ſententiæ de immaculata præſervatione.* Fuiſſe illa excogitata ſeu ficta ſub illis temporibus, incumbit ei probandum; quia dum hoc dicit, partes agit Actoris, cujus dictum deficit, niſi probetur. Quod vero elogiorum D. Thomæ decantatio, frequentior fuerit, & fortè ferventior, dum contra ejus doctrinam exoriri videbatur, nova tempeſtas; gratis conceſſero. Nec enim inde aliquid contra nos conſequentiæ; naturale enim eſt, ut tempore militiæ, & belli, foras educantur inſtrumenta bellica, quæ pacis tempore, licet haberentur, quaſi non habita, deliteſcebant. Neſcimus quid loquitur fol.

fol. 28. dum dicit: *Notandum quod quando iste Parisiensis Doctor scribebat circa annum* 1470. (loquitur autem de quodam scriptore Ordinis nostri) *solum erant duæ approbationes doctrinæ D. Thomæ, scilicet illa Stephani Episcopi, & altera Vrbani Papæ: nunc verò jam sunt quatuordecim.* Quid enim inde consequentiæ, quod hoc notari debeat? an fortassis, duodecim illas, duabus prioribus superadditas approbationes, esse fictas? Hujusmodi consequentiam, mirarer ego fieri à viro sensato. Non enim omnia elogia D. Thomæ, & approbationes doctrinæ ejus, potuerunt dari, uno & eodem tempore, sed crescere debebant successu temporis, secundum successionem Pontificum &c. per quos darentur: Neque enim omnes Pontifices, Encomiastæ D. Thomæ, simul convixerunt eodem tempore, cum in Ecclesia tantum fit successio capitis, non simultas capitum, in sede Petri.

Fol. 52. usque ad 77. recitat, quidquid ferè à nostris, in laudem S. Thomæ dictum fuit, & irreligiosè perstringit: Similis Scarabæo, qui ex mellitis floribus, venena colligit.

Hæc in communi circa Nodum primū proposuimus, antequam descenderemus ad particularia: quod etiam observabimus in alijs Nodis, ut saltem lector qui nondum legerit Nodum indissolubilem, confusam aliquam illius notitiā habeat. Descendimus nunc ad particularia.

Fol. 5. dicit de scriptis D. Thomæ: *Ventilari, disputari, imò & negari possunt in scholis: & contrarium dicere, esset delirium, affirmare temeritas magna, defendere erroneum.* Sed contra. Non est delirium, temeritas, vel erroneum, dicere, affirmare vel defendere, quod in scholis Thæologicis negari non possit, earundem scholarum communis Magister. Sed S. Thomas est communis Magister scholarum Theologicarum: ergo. Maior est certa, non

enim negari potest in scholis, doctrina Magistri. Et minor probatur, ex recepto a quadringentis plus minus annis, vocabulo DOCTORIS COMMVNIS, quod S. THOMAS possidet etiam usque ad præsentem diem. Et vero DOCTORIS COMMVNIS, DOCTOR ANGELICVS, nequaquam vacuum aut inane nomen portat; communis fuit, id est, apud omnes receptus, antequam apud omnes Communis nuncuparetur. Et quomodo receptus? tam tenaciter, ut Petrus Opmerus ad annum 1274. de eo verba faciens, ausus sit dicere quod *posteris tantæ fuerit authoritatis, quod ijs sufficerit dixisse*, IPSE DIXIT; Tam universaliter; ut in toto Christianismo, Academia non sit, in qua S. Thomas, hodierna etiam die, non doceat, non præsideat, non resoluat: ut studiosus non sit altiorum scientiarum, qui Summam D. Thomæ non terat tractando, non tractet revoluendo, non revoluat studendo, non studeat intelligendo: absit quod aliquis S. Thoma careat: sine eo etenim sacrarũ litterarũ studiosum agere, tantumdem profecto foret, ac agere militem sine gladio. Porrò non esse Academiam Christianam, in qua S. Thomas non doceat &c. in qua non floreat, clarius est quam ut debeat demonstrari. Et quidem ad Academias Hispaniæ, & Belgij, scimus emanasse Philippi secundi prudentissimi Regis, prudens mandatum, vel litteras, datas Madriti Anno 1594. quibus voluit, ut relicto Magistro sententiarum, S. Thomæ Summa, ad majorem Academiarum splendorem, & utilitatem imposterum prælegeretur: & ne nudè videretur velle, in eum finem, novas à se dotatas cathedras, erexit: & quidem inter cæteras, duas, in toto orbe celeberrima Lovaniensi Universitate. Quod attinet ad Universitates extraneas, pro omnibus substituo, caput omnium, Universitatem Parisiensem. Et vero S. Tho-

mam

mam in ea etiam mirificè vigere, præter quotidianam experientiam, hoc unicum efficaci argumento sit, quod S. Thomas, ejus filius sit, quem in commune Ecclesiæ bonum feliciter parturijt: & super quo, aliquando Clemens VI. magnificum illud elogium intonuit: *quod præcessit sapientiâ, omnes qui fuerunt ante eum, imo & post eum, in Vniversitate Parisiensi.* De cujus doctrina affirmavit, quod de illa dici possit, illud Joan. 17. *Sermo tuus veritas est.* Quomodo non vigeret apud talem Matrem, talis Filius? quomodo non constitueret eum hæredem doctrinæ suæ, ut nutriret, scientiæ suæ lacte, Theologiæ sacræ lactancos, ut provecti etiam studij Theologos, sapientiam doceret, tamquam primogenitus, in multis fratribus? viget profecto & docet S. Thom. Parisijs, & eo usque docebit, donec Mater oblivisci poterit Filij uteri sui. Appage proinde ad usque Garamantas & Indos, quisquis Divi Thomæ authoritatem, dicis communiter in Academia Parisiensi negari. Non enim negat ipsa filium, & talem Filium: non ejus doctrinam, cui à Clemente VI. applicatum novit illud Joan. 17. *Sermo tuus veritas est:* nisi volueris, quod agnitam neget veritatem contra filium, amatrix sedula veritatis.

Folio 11. dicit: *Catena aurea creditur esse Pontij Carbonelli Ordinis Minorum.* Idem dicit fol. 585. Quod attinet ad hanc Catenam auream; sciendum quod R. P. F. Martinus Perez de Guevara, Ordinis Fratrum Minorum, Guardianus Conventus S. Gadex, socius itineris, & studiorum P. de Alva, nuperrimè emiserit in lucem, libellum aliquem, idiomate Hispanico, intitulatum, JVDICIVM SALOMONIS, in quo à primo folio usque ad ultimum, nititur ostendere, Catenam auream non esse D. Thomæ, sed istius Pontij Carbonelli, Magistri quondam S. Ludovici Regis Fran-

Francorum, vel ut volunt alij, S. Ludovici Episcopi Tholosani. Et quidem fundamentum ejus in eo rotatur quasi in cardine, quod hæc eadem catena, quæ modo divulgata est sub nomine D. Thomæ, reperiatur in tribus manuscriptis, sub nomine Carbonelli: ex quo deducit, S. Thomam, eam catenam exscripsisse ex Pontio, sibique eam appropriasse. Et huic quidem suo discursui confirmando, dicit non indecorum S. Thomæ, imo nec insuetum, ab alijs, aliqua exscribere, uti patet in 1. Secundæ, & 2.2. quam dicit, S. Thomam exscripsisse, ex nostro Vincentio Belluacensi. Antequam ad hoc propositum fundamentum, & superstructum ei discursum respondeamus: supponendum est, me nolle hic quæstionem movere de nomine, utrum S. Thomas expositionem suam in 4. Evangelia, intitulaverit Catenam auream, vel Continuum, quod deinde à bene affectis D. Thomæ, catena aurea, propter operis præstantiam vocatum sit: libens enim, tamquam S. Thomæ magis conforme humilitati, admisero, solum ab eo inscriptum, sub titulo Continui vel aliquo simili: unde tot phrasibus Hispanicis, ad hoc evincendum, opus non fuerat. Relictâ proinde quæstione de nomine, ad rem descendendo, permittimus gratis transire & in fide referentis, assumptum Patris de Guevara fundamentum, quod videlicet illa eadem Catena, modò sub S. Thomæ nomine impressa, videatur in tribus manu scriptis sub nomine Carbonelli. Cæterum dico asseveranter, non sine gravi injuria D. Thomæ, ex eo deduci posse, quod S. Thomas eandem exscripserit ex Carbonello: hoc ipsum enim, est S. Thomam impostorem facere, & mendacem. Enim vero affirmat D. Thomas, se Catenam auream, seu Continuum (voca ut volueris) compilasse labore proprio, proprio

studio, uno verbo, affirmat eam totaliter & totã suam: quod si non fuerit, ut prætendunt adversarij, sed Pontij Carbonelli, ergo mendax fuit D. Thomas, & impostor, quod audire humanæ aures expavescunt de illo, de quo ausus fuit dicere Bessarion Cardinalis & Patriar. Constantinopo. THOMAS AQUINAS NON MINUS INTER SANCTOS DOCTISSIMUS, QUAM INTER DOCTOS SANCTISSIMUS. Tota difficultas hujus discursus consistit in probando, quod videlicet S. Thom. affirmet, Catenam auream, à se compositam. Et hoc quidem non tam probatur, quam pateat ex ipsis dedicatorijs, quas S. Thomas præfigit, unam Expositioni in Matthæum, ad Urbanum IV. alteram expositioni in Marcum, ad Cardinalem Hannibaldum. Atque imprimis, in prima dedicatoria ad Urbanum, sic S. Doctor loquitur in propriâ persona. *Vestræ sanctitati, complacuit mihi committere Matthæi Evangelium exponendum, quod, juxta propriam facultatem executus, sollicitè ex diversis Doctorum libris, prædicti Evangelij, expositionem continuam compilavi.* In secunda vero ad Cardinalem Hannibaldum: *Ministerium* (inquit) *expositionis adhibui, sacrorum Doctorum sententias compilando: ad quod me induxit primitus, felicis recordationis Urbani Papæ 4. mandatum. verùm quia eo summo Pontifice ex hac vita subtracto, tria Evangelia, Marci, Lucæ & Ioannis exponenda restabant, ne opus quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore, diligens adhibui studium, ut quatuor Evangeliorum expositionem compilarem.* Ecce quomodo S. Thomas Catenam auream dicat totam & totaliter à se compilatam, proprio compositam studio, operâ & labore.

Ad hoc argumentum nihil responderit Pater de Guevara, donec prædictas dedicatorias falsas ostenderit, & suppositicias, in omnibus Catenis aureis tam manuscriptis, quam impressis: quod numquam

fecerit.

fecerit. Quod enim attinet ad impressas: à prima, quæ impressa fuit Anno 1470. usque ad ultimam impressam non multis retro annis, omnes præ se ferunt hujusmodi dedicatorias. Quod vero spectat ad manuscriptas: vidimus unam antiquissimam Brugis, in Celeberrima Abbatia Dunensi, & alteram, in Bibliotheca Tungerloensi, quibus similiter prædictæ dedicatorię præfixæ sunt: expositioni quidem in Matthæum, dedicatoria ad Urbanum: expositioni vero in Marcum, & duos reliquos Euangelistas, dedicatoria ad Hannibaldum Cardinalem. De alijs Catenis aureis manuscriptis, quas videre non licuit, idem credimus, & affirmamus. Neque enim obstat, quod Pater de Guevara in libello suo, dicat extare tria exemplaria Catenæ manuscripta, in quibus prædictæ dedicatoriæ non habentur, non enim, si verum dicat, proferre potest alia exemplaria, quam tria illa, promulgata sub nomine Patris Carbonelli: in quibus mirum non est, prædictas dedicatorias S. Thomæ, non inveniri, imò planè necessarium est fuisse omissas, ne Catena Carbonelli esset monstrosa, dum præ se ferret in sui frontispicio Carbonellum tamquam auctorem, & in ipsa dedicatoria S. Thomam.

Atque ut descendamus profundius in hac materia, quæro ego à P. Guevara, utrum meminerit, quod Urbanus IV. mandaverit Doctori Angelico expositionem seu continuum aliquod in Matthæum? & Cardinalis Hannibaldus rogaverit, ut post mortem Urbani, continuum in tria restantia Euangelia, prosequeretur? utique (inquit) fol. 73. sui libelli: sed adeò insignis erat expositio & Catena Carbonelli, ut utrique S. Thomas satisfecerit, transferendo ad litteram Catenam seu continuum Carbonelli. Itane vero hoc S. Thomas fecerit? sic sincerus fuerit, ut Summo Pontifici, & quidem post mandatum, ut

Eminen-

Eminentissimo S. R. Ecclesiæ Cardinali; tamquam opus proprium, opus obtruserit alienum? etsi juratus quis dixerit, non credam. Enim verò, si his circumstantijs addideris tempus, quo S. Thomas satisfecisset mandato Pontificis, & petitionibus Hannibaldi, transcribendo Pontij Catenam; incredibilis videbitur hujusmodi transcriptio. Expositionem enim in Matthæum, & alios tres Euangelistas, si transcripserit, transcripsisse debuit, ad minus ante Annum 1274. illo enim anno, D. Thomas animam reddidit. Quod cum fecisse incredibile prorsus est, & inconceptibile: destruxisset enim hæc infidelitas, omnem fidem D. Thomæ: unde etsi fuisset tenebrarum filius, hujusmodi exscriptionem, sub nomine proprio, non attentasset. Statim enim audivisset à proprio illius auctore, unde Thoma hæc expositio tamquam tua, per te dedicata Cardinali, & Pontifici, quam ego proprio consecravi labori? statim audivisset illud in materia simili Poetæ Virgilij: *hos ego versiculos feci, tulit alter honores: sic vos, non vobis, vellera fertis oves*: *sic vos, non vobis, mellificatis apes* &c. sed adhæc inquiris, an igitur Carbonellus D. Thomæ convixit? convixit utique, & ad annos sexdecim supervixit: mortuus nimirùm, uti ipse refert Pater de Guevara in Judicio suo Salomonis fol. 103. Anno 1290. ubi S. Thomas fato cessisse cognoscitur, anno 1274. Ex quo, per nimis evidentem consequentiam deducitur, quod si alteruter ex altero exscripserit Catenam auream, uti volunt adversarij, exscripserit eam Carbonellus, ut qui illis annis D. Thomæ supervixerit, quibus appendebatur aurum in statera, ad conquirendam, saltem in transumptis, relictam D. Thomæ doctrinam. Undè quod Pater de Guevara infundatè dicit de Sancto Thoma, nos fundatè dicimus de Carbonello, quòd videlicet adeò insignis fuerit Catena aurea S. Tho-

 mæ,

mæ, quod Carbonellus, ſcribens poſtillam in totam Scripturam, exſcripſerit expoſitionem in 4. Euangelia, ex Catena aurea S. Thomæ. Et hujus quoque exſcriptionis non leve ſignum eſt, quod Carbonellus, non ita diffusè exponat quatuor Euangelia, ſicut S. Thomas, ſed quod in pluribus locis, non omnia habeat, quæ leguntur in Catena aurea S Thomæ: ex quo videtur nòn abſonè deduci, Carbonellum expoſitionem ſuam mutuaſſe à Catena aurea S. Thomæ, cùm ordinarium ſit, alienas doctrinas exſcribentibus, eas veluti compendiare, & ab ijs reſecare minus neceſſaria: ne, vel opus eorum nimis excreſcat, vel quod eorum intento non conveniant.

Verùm his nondum contentus adverſarius, ſupervixerit, (inquiet) Carbonellus, Annis 16. D. Thomæ: ſed & eum Annis 28. nativitate prævenit, natus Anno 1196. cùm nonaginta quatuor annorum, Anno 1290. mortuus ſit: S. Thomas autem, quinquagenarius, Anno 1274. Ipſe proinde tamquam junior, ex ſcripſerit ex Carbonello. Sed contra eſt, quod hujuſmodi exſcriptio, nimium deroget nomini, famæ, & honori iſtius Doctoris, qui etiamnum dum viveret, audiebat tamquam Oraculum. Enim vero derogat ſecundum P. de Alva, & ſocium ejus P. de Guevara, honori alicujus, noſtri Ordinis Doctoris, quod in ſuo aliquo libro, paucula ex ſcripſerit, ex ſui ejuſdem Ordinis Generali Rmo. P. Thoma Turco: atque hoc in ſummo contra ipſum magnificant: & non deroget honori S. Thomæ, Quinti Eccleſiæ Doctoris, exſcripſiſſe non paucula, ſed integrum librum in folio, ex ſcriptore alterius Ordinis? Derogaret profectò plus quam ut credi poſſit hujuſmodi exſcriptio. Sed quomodo non credi? cum ad oculum pateat, exſcripſiſſe S. Thomam, ex Vincentij Belluacenſis Speculo morali, ſecundam partem Summæ ſuæ Theologicæ:

Ita

Ita quidem adversarius in libello suo, sed per calumniam. Exscripsit Belluacensis ex Thoma non Thomas ex Vincentio Belluacensi. Atque ut assumptum hoc nostrum sic probemus, ut destruamus assumptum contrarium: conficio hoc argumentum. Vincentius Belluacensis judicandus est exscripsisse ex secunda parte Summæ seu ex prima secundæ S. Thomæ ea quæ habet in suo Speculo morali, si dum illud scriberet, eam videre potuerit. Atque hanc videre potuit: ergo. Major est certa, in illo enim casu præponderat authoritas S. Thomæ, authoritati Vincentij, ut quilibet libenter concesserit, cum vel maximè ipsissimus Belluacensis, fateatur se tantum egisse in suis scriptis munus excerptoris, in prologo Tom. 1. cap. 1. *Interdum* inquiens *ea quæ ipse vel à majoribus meis, vel à modernis Doctoribus didici, vel in quorumdam scriptis notabilia reperi, nomine meo intitulavi.* Et clarius cap. 4. *Audiat me lector non per modum authoris, sed excerptoris, ubique procedere:* Igitur Vincentius judicandus est exscripsisse, ea quæ habet in speculo morali, ex prima secundæ S. Thomæ, si dum illud scriberet eam videre potuerit. Minor vero probatur. Dum scriberet suum opus naturale ipsa vidit quæstiones disputatas D. Thomæ: ergo dum scriberet speculum morale, videre potuit, ipsius 1. 2. Antecedens patet ex Speculo naturali, in quo lib. 26. tota materia de Prophetia, & raptu, ad litteram exscripta invenitur ex quæstionibus disputatis D. Thomæ quest. 12. & quæst 13. Invenitur inquam exscripta, cum in cap. 74. 82. & 100. ejusdem libri 26. in quibus tractat de duabus illis materijs, citet Belluacensis, S. Thomam nomine proprio, eo modo quo in eodem speculo naturali, citat S. Augustinum, & alios SS. Patres. Et consequentia probatur quia sic se habet, Speculum morale Belluacensis ad 1. 2. D. Thomæ, sicut se ha-

habet Speculum naturale, ad quæstiones D. Thomæ disputatas, quoad hoc, quod sicut quæstiones disputatæ D. Thomæ extiterunt, dum Vincentius scriberet suum Speculum naturale, sic posset existere 1.2. D. Thomæ, dum scriberet Speculum morale: sicut enim est ordo inter opera Belluacensis, ut primò scripserit Speculum naturale, deindè Doctrinale, postea Morale, & demùm Historiale; sic etiam est ordo, inter opera D. Thomæ, ut paulò post quæstiones disputatas, (illas enim eum scripsisse, dum esset maturioris ætatis, & paulò ante Summam, demonstrat similis styli gravitas, & æquè plena resolutio) sic inquam etiam est ordo inter opera D. Thomæ, ut paulò pòst quæstiones disputatas scripserit primam partem, deindè, 1.2.& 2.2.& demùm tertiam partem. Undè dum componeret Belluacensis Speculum suum naturale; præparabat S. Thomas Summam suam, & antequam ille pervenisset, usque ad Speculum suum morale, facile præparaverat S. Thomas, primam & secundam partem suæ Summæ Theologicæ. Undè dum Vincentius Speculum morale scriberet, potuit Primam secundæ vidisse præparatam.

Cæterùm ad hunc discursum negat adversarius suppositum: supponitur enim, eodem tempore scripsisse Belluacensem, Specula sua, & S. Thomam, Summam suam Theologicam. Falsitas verò hujus patet, ex eo quod Belluacensis mortuus sit, anno 1240. quò S. Thomas tantùm erat, 16. annorum, cùm hic natus sit anno 1224. undè S. Thomas, dum Belluacensis scribebat sua Specula, non poterat scibere Summam suam Theologicam, quam non scripsit adhuc discipulus, sed magister. Argumentum concluderet, nisi assumeret falsum, Belluacensem videlicet mortuum esse anno 1240. Sed quomodò falsum? sic enim refertur, non ab aliquo Ordinis Minorum, sed

sed à Religioso Ordinis Prædicatorum, Francisco Garcia. Imò verò, iterùm dico, allegatur falsum: & dum illud Garcias retulit, à veritate lapsus est. Quomodò enim anno 1240. mori potuit, qui in Speculo suo naturali lib. 32. cap. 101. refert Canonizationem S. Petri Martyris, factam ab Innocentio IV. Anno 1253. Qui ad S. Ludovicum Francorum Regem, uti referunt Chronica Magistrorum Generalium Ordinis nostri, & Ferdinandus de Castillo consolatorias scripsit, super morte ejus primogeniti, qui mortuus est Anno 1260. Non igitur Anno 1240. mortuus est, qui Anno 1260. adhuc scripsit litteras, & probaliter usque ad Annum 1264. ad minus, vitam protraxit, si secundum alios, quibus non contradicimus, ultra S. Thomæ tempora non pervenit. Cæterùm, non partialibus nobis pro hac ultima opinione, sufficerit vixisse Vincentium, tribus quatuor annis, post annum 1260. sic enim vidisse & exscripsisse potuerit ex S. Thomæ Summa, quod in Speculo suo morali insereret. Sed quomodo (inquiet rursùs) Pater de Guevara, quomodò exscripsisse potuerit ex Summa, si circa annum 1264. Vincentius admittatur mortuus, cùm Summa Divi Thomæ, sit opus ejus ultimum, quód morte præventus, complere non potuit; & post annum 1264. decem annis S. Thomas Belluacensi supervixerit? Verùm huic interrogationi veraciter respondet, Sapientissimus Magister, Ioannes à S. Thoma, in Complutensi Academia, vespertinæ Cathedræ, quondam moderator, & in supremo Fidei Senatu Censor, Summam quidem esse ultimum opus Divi Thomæ, sed eo sensu, quod illam S. Doctor ultimâ consummatione, sub finem vitæ perfecerit, pro majori tamen parte, à non paucis retrò annis præparatam. Et verò S. Thomam, Summam suam, multo tempore

ante obitum præparasse, præter Joannem à S. Thoma, imò verò, pro majori sui parte lucem vidisse, asserunt Theologi Vedastini, in primo tomo Operum Belluacensis his verbis: *Sine dubio prima Pars, & secunda longè ante obitum ipsius, inter discipulos ejus, communiter habebantur: unde Herveus & Aegidius, qui ipsum audierunt, sæpius ex his partibus quædam adducunt, & alij æmuli doctrinarum ejus, etiam ipso vivente impugnarunt.* Et huic sanè præparationi præviæ, suffragatur non contemptibilis ratio; quod cùm S. Thomas intenderet facere, Opus omnibus numeris absolutum, priùs deduxerit quasi quædam Summæ suæ lineamenta, & priùs collegerit, rationales ædificij sui lapides, & fragmenta, qualia etiam solum habet Belluacensis (neque enim observat ordinem Summæ, neque adducit D. Thomæ, vel argumenta, vel eorundem solutiones, sed solùm truncata corpora) ut deindè ex illis faceret opus perfectum.

Antequam hunc discursum concludamus, hoc præviè adverto, Eminentissimum Cardinalem Bellarminum, in tertia observatione ad opera D. Thomæ; maluisse subtrahere speculum morale Vincentio Belluacensi, & dicere compositum ab aliquo alio Vincentio, quàm primæ. & 22. exscriptionem, D. Thomæ imponere. *Neque enim,* inquit ibidem, *ullo modo est credibile, Sanctum Thomam Summæ suæ secundam partem, eamq; nobilissimam, ex alio auctore scripsisse.* Idem conformiter diceret de Catena aurea, contra quam non militant adeò fortia argumenta: imò & in verbis prioribus idem dicit, fundatur enim in profunda æstimatione doctrinæ Angelici Doctoris, & in summa ejusdem Sancti præsumpta, imò cognitâ sinceritate: quæ cùm in Sancto Thoma ubique eadem sint, idem convincere debent pro Catena, quod apud Bellarminum convincunt pro Summa.

Cæterum

Cæterum his nondum contentus Pater de Guevara, resumit spiritum contradictionis fol. 81. libelli sui, & à Belluacensi, non tanquam victus, sed adhuc sub spe victoriæ, transcurrit ad Alexandrum Alensem, & ex ipso dicit, S. Thomam plurimos articulos suæ Summæ litteraliter, seu de verbo ad verbum exscripsisse: ex quo interrogat, utrum, si plurimos illos articulos suæ Summæ exscripserit ex Alensi Ordinis Minorum, ita etiam non potuerit exscripsisse Catenam Auream ex Pontio Carbonello? Quod spectat ad assumptum, illud probat, ex eo, quod plurimi articuli, reperti in Summâ D. Thomæ, reipsa inveniantur, præcipuè, in secundâ Parte Alensis, qui multis ante S. Thomam annis mortuus est: hoc verò probat, ex R. P. Ioanne de la Haye, Ordinis Minorum, qui in vitâ Alexandri Alensis præfixa expositioni ejus in Apocalypsim, texit Catalogum locorum omnium, quæ S. Thomas ex Alensi videtur exscripsisse. Quod attinet ad hunc catalogum, examinavi ego eum, & præcipua loca ab illo Patre de la Haye citata, tam ex Alensi quàm ex S. Thoma, contuli ad invicem, & erubui, dum adeò effrontem imposturam comperi. Equidem aliqnando S. Thomas quædam argumenta in sua Summa adducit, quæ eadem videntur in materia, cum aliquibus argumentis adductis ab Alensi, quod verò integros articulos de verbo ad verbum S. Thomas ex eo exscripserit, vel quod articuli S. Thomæ de littera in litteram in eodem reperiantur, splendidissimum est mendacium, cùm nec umbra sit alicuius similitudinis. Nolo, ut mihi, in hâc parte credatur; conferat & ipse Pater de Guevara, loca à P. de la Haye citata, & si sincerè ea contulerit, erubescet in se ipso, quod adeò manifestam in primo fortassis suæ scriptionis fœtu parturierit imposturam. Ex his

maneat S. Thomas in possessione suæ Catenæ aureæ, & Summæ: nec torquem illam auream, cum qua post mortem spectabilis apparuit, ei aliquis suffuretur, ut alteri tribuat. Et post hoc muta fiant in hac materia, non quidem labia (ut confidimus) dolosa, sed inconsiderata.

Fol. 15. Dicit de Supplemento tertiæ Partis. *Licet evidenter constet non esse doctrinam S. Thomæ.* Et quare Pater Reverende, non sit S. Thomæ? An quia S. Thomas tertiam Partem morte præventus non complevit? equidem S. Thomas scripserat plusquam Summam dum mortuus est. Atque ut impostemum non convincaris, te nunquam legisse S. Thomam, legas eum in Quartum Sententiarum, à Distinctione 17. & deinceps: & nisi pertinax fueris, retractabis verbum tuum: illic enim invenies, ipsum supplementum de verbo ad verbum, superaddito solo ordine, quem Sanctus Doctor observaverat in Summa, ubi non per Distinctiones sicut in Quartum; sed per quæstiones processerat, & articulos.

Fol. 25. Dicit ironicè de doctrina S. Thomæ. *De se tota erat, & est angelica, sancta, catholica, vera, & undequaque veneratione digna.* Quod hoc dicat ironicè, patet ex toto ejus libro, in quo doctrinam S. Thomæ ubique perstringit, potissimum Fol. 553. ubi dicit: *Sed hic obiter nota, quod licet opuscula Angelici Doctoris, habeant aliquos errores magni momenti, hoc contra errores Græcorum, scatet gravissimis.* Nec loquitur de quibuscumque erroribus, sed de formalibus, ut patet ex immediatè sequentibus. Dicit enim post verba prædicta: *Quomodo autem illud approbaverit Christus Dominus, cùm non sit errorum approbator Deus, non habebit adeò expeditam solutionem.* Quomodò cum his verbis stat, quod doctrina D. Thomæ, dicatur ab eodem, tota Angelica, sancta, catholica, vera, &

unde-

undequaque veneratione digna? Igitur ironicè sic locutus est, & irrisoriè: sed caveat, ne qui jam sustinet ad modicum tempus, licet ironicè impetatur, & irrideatur; rideat quoque in interitu ejus in die ultionis; Deus enim in Sanctis suis, non pro nihilo irridetur.

Fol. 49. dicit: *Nec discursus ille Vniversitatis* (loquitur autem de Parisiensi) *circa doctrinam S. Petri, meretur ullam censuram, neque est durus, ut insinuat quidam Notitiosus Dominicanus Complutensis.* Et quis est iste discursus Universitatis? Ille, quem adfert fol. 48. & 49. & hujusmodi est de littera ad litteram. *Tertio probatur eadem conclusio, quia si oportet dicere, quod hujusmodi doctrina* (scilicet S. Thomæ) *in nulla sui parte sit erronea, vel heretica, hoc maximè esset, quia ipsa est per Ecclesiam approbata: sed aliqua est doctrina multò magis approbata, quàm doctrina S. Thome, que tamen in aliqua sui parte, est heretica vel erronea in fide; igitur hoc etiam sine ulla temeritate, dici poterit, de doctrina S. Thome. Minor probatur per multa exempla. Et ut à maioribus ad minora procedatur: primum exemplum ponitur de doctrina B. Petri Apostoli, quam nulli dubium est, esse magis approbatam, quàm doctrinam S. Thome. Et tamen capiendo doctrinam B. Petri, pro omnibus ad fidem pertinentibus, que verbo aut facto docuit; constat quod huiusmodi doctrina, in aliqua sui parte, fuit in fide erronea, scilicet in ea parte, in qua Paulus Apostolus eum reprehendit &c.* Hic est discursus Universitatis Parisiensis, ultimatè sistens in hæc verba: *Capiendo doctrinam B. Petri pro omnibus ad fidem pertinentibus, que verbo, aut facto docuit, constat, quod huiusmodi doctrina, in aliqua sui parte, fuit in fide erronea.* Et hujusmodi discursus, non meretur ullam Censuram! licet hæreticæ Inquisitionis Qualificator non sim; non insinuativè, sicut ille tuus Notitiosus Dominicanus

Complutensis, sed formaliter, explicitè & assertivè, qualemcumque illum discursum, quoad propositam illam clausulam, quod videlicet, *Doctrina B. Petri, in aliqua sui parte, fuerit in fide erronea*, ad minus scandalosam dico. Numquid enimverò, hoc est doctrinam B. Petri, super quo prædixerat Christus: *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*, exponere hæreticorum calumnijs, ut ipsi dicant errasse Petrum in pluribus, qui à Catholicis, dicitur errasse in uno? numquid hoc est Ecclesiam, supra Petrum, & doctrinam ejus, fundatam, exponere eorumdem ludibrijs, ut ipsa quotidie dicatur errare, in fine sæculorum, quæ in suo primo post Christum Capite, dici posset errasse in principio nascentis fidei? Numquid hoc est ministrare fomitem, & materiam partibus adversis, ut ipsi dicant, vel ab ipsis exordijs exorientis Ecclesiæ, prævaluisse portas inferi adversus eam, dum prævaluissent adversus firmissimum fidei propugnaculum, contra Petram fidei, Apostolum Petrum? Quod propositio tua scandalosa sit, dignus es, cui per alterum Paulum resisteretur in faciem, quia supra modum præ B. Petro, reprehensibilis es, pro quali etiam (audacter loquor, quia pro Ecclesia) ego te in Domino reprehendo. Utque reprehensio mea, intentum in te finem operetur, non meam juventutem contempseris, sed attenderis propositam à Iuvene veritatem: à quocumque enim veritas dicatur, licet subindè odium pariat, numquam tamen ex debito dicenti, parit confusionem, sed audienti perpetuò salutarem fructum, si audiatur in patientia. Utque eam patientius audias, lege hoc sequens, de illo discursu Universitatis Parisiensis, Eximij Viri, Domini Francisci Sylvij in Universitate Duacena Regij nuper & Ordinarij Sacræ Theologiæ Professoris judicium & & discursum. Ait itaque

fol. 5.

fol. 5. Apologiæ suæ, pro S. Thoma habitæ Duaci, Anno 1624. die 27. Martij, contra unum similiter ex Ordine Minorum. *Prodijt deinde Vniversitatis, seu Facultatis Theologiæ Parisiensis nomine Censura quædam, quæ in Sancti Thomæ doctrinam, ita infigit aculeum, sicq; debacchatur, ut ad stuporem usque mirum sit, tam probrosam & contumeliosam lucubrationem, tantæ Vniversitatis specioso titulo circumferri. Præter cætera enim, illic huius Sanctissimi Viri doctrinæ, æquiparatur decretum Gratiani, & longo satis intervallo, anteponitur Petri Lombardi, vulgò Magistri Sententiarum compilatio; idque in eum finem, ut probetur, dici posse, quòd S. Thomæ doctrina sit in aliqua sui parte hæretica, vel in fide erronea. In cuius rei confirmationem etiam dicitur, quod S. Petri Apostolorum Principis doctrinam, constet in aliquâ sui parte fuisse in fide erroneam, quodque de doctrinis Beatorum, Hieronymi, Augustini, Anselmi, ac plurium approbatorum Doctorum idem queat ostendi. Quod, quid aliud est, quàm contra manifestam Scripturam Prov. 24. quærere impietatem in domo justi, & quos oportebat revereri ut Patres, suspicere ut magistros, ut turres inexpugnabiles tueri, si qui ut duces, ut firmas Ecclesiæ columnas amplecti, inimicorum calumnijs exponere, & non modò verenda Patrum, sicut fecit Cham maledictus* ( audiat hæc Pater de Alva, nec sit inter aspidis surdæ, & obturantis aures suas, ut non exaudiat vocem incantantis sapienter) *nudata nuntiare, sed etiam quod inhonesta quædam habeant, sine iudicio affirmare, sine fundamento asserere, sine utilitate publicare. Cùm, etsi aliquos, Veterum quorumdam scripta nævos orthodoxæ fidei dissentaneos habeant, exemplo Sem & Iaphet, obtegere potiùs oportebat. Eiusmodi ergò libellus* ( loquitur de libello, in quo prædictus discursus continetur ) *non tantùm qui Parisiensis Vniversitatis nomen præferat, est indignus, sed ita omnem, quam consequi potuisset, authoritatem perdidit, Ecclesiæ &*

*Sum-*

*Summorum Pontificum, omniumq; Catholicarum Academiarum, ad S. Thomæ doctrinam, accedente calculo, sicut ad ortum diei, accedente Solis claritate, pelluntur tenebræ: adeò ut quod de Israëlitis testatur Scriptura, Exodi* 1. *Quantoque opprimebant eos* (scilicet Ægyptij) *tantò magis multiplicabantur, in Sanctißimo Doctore nostro, videamus impletum: quantò enim doctrina eius magis fuit impugnata, tantò ampliorem auctoritatis arcem obtinuit, quasi palma exaltata, & neque in prosperis, neque in adversis, virore suo decidens, neque oneribus succumbens, sed non obstantibus adversariorum calumnijs, in altum usque adeò assurgens, ut indies magis ac magis ea suscipiatur, celebretur, & in omnem terram pervagetur, floreatq; sicut palma.* Hic est discursus, hoc est judicium Eximij istius Viri, de discursu Universitatis. Ne proindè adeò posthàc discursum illum magnificet Pater de Alva, nec super eo se fundet, sicut facit in Nodo suo primo, & secundo: jam enim vidimus, cujus authoritatis sit, apud viros cordatos, & intelligentes.

Fol. 53. Arrodit mordaci dente titulum præfixum Summæ Theologicæ in ultimâ editione Parisiensi, Anno 1639. qui hujusmodi est: *Summa Theologiæ S. Thomæ Aquinatis, divinæ voluntatis Interpretis, Sacri Ordinis Prædicatorum, in quâ, Catholica doctrina universa, & quidquid veterum Patrum monumentis, est dignum observatu, quidquid etiam, vel olim vocatum est, vel hodie vocatur ab hæreticis in controversiam, id omne, ut eruditè, solidè & dilucidè; ita piè, atque fideliter explicatur.* Hunc (inquam) titulum arrodit in hunc modum: *S. Thomas, qui in suo principio vocabatur Doctor Communis, & in medio appellatus fuit Doctor Angelicus, jam ab ista hierarchia ascendit ad illam divinæ voluntatis Interpretis: in cuius brevi Summâ Theologicâ* (nota quàm brevis sit, quæ continet, quæstiones 511. articulo-

rum

rum verò tria millia ) *uno mediocri volumine contenta, reperitur , & extat Ecclesiæ Catholicæ doctrina universa. In Sacra Scriptura à Spiritu Sancto , & Verbo Dei Filio prolata , in Veteri , ac Novo Testamento continetur explicitè, vel implicitè , omne necessarium ad salutem ; sed non ibi extat Ecclesiæ Catholicæ doctrina universa , quia aliqua recipit de traditionibus Apostolicis &c. At in unicâ & solâ Summâ S. Thomæ extat , & reperitur Ecclesiæ Catholicæ doctrina universa. Stude , vide , considera, ac perpende quidquid in veterum Patrum monumentis est dignum observatu ; nam totum hoc reperies in Summa S. Thomæ. Quidquid in Operibus Augustini, Ambrosij, Hieronymi, & cum istis enumera omnes alios Ecclesiæ Doctores ; & omne quod in ipsis observatione dignum est , continetur in Summa S. Thomæ. Si aliquid quæris indignum , lege sanctos & antiquos Doctores ; sed si desideras habere solùm digna & proficua, quæ observationem specialem mereantur, non teras tempus in evolvendis Sanctis Doctoribus ; lege & stude tantùm Summam D. Thomæ, & alia relinque ut indigna, quia in illâ solâ extat , quidquid in veterum Patrum monumentis est dignum observatu. Denique quidquid ab hæreticis antiquis , vel modernis in Controversiam vocatum est , id omne (nota universalem) id omne, eruditè, dilucidè, piè ,fideliter est explicatum in Summa D. Thomæ , in quâ nihil est ineruditum , insolidum , illucidum, impium, atque infidele. Et quare hoc ? Quia est doctrina illa approbata ab Vrbano VI. & Innocentio V. & Stephano Episcopo Parisiensi.* Notet Lector causam illationis : quia non multò post conabitur ostendere, approbationem Urbani, Innocentij, & Stephani, esse fictas & falsas : ex quo convincitur quod rideat Doctorem Sanctum, & doctrinam ejus.

Quod attinet ad verba Patris de Alva, & discursum ejus jam propositum , nescio quo spiritu eum tractet homo Christianus. Quid tibi , & justo illi, quod

quod divinæ voluntatis Intepretem cum vocari, ferre non possis? Quid? ut contra eum, tam manifestè ponas os in cælum, & tam profundè doctrinam ejus abijcias, dum eam irrisoriè, solam legendam dicis, ad exclusionem omnium aliorum Patrum, quos legere (uti impudenter dicis) *est tempus terere*; quod in comparatione ad S. Thomam indigna solùm habeant? Quid tibi, & justò illi, quod vel unicus, nec tamen meritis excellentior, præfixus suæ Summæ titulus, ea amaritudine repleat cor tuum, ut illâ quælibet verba tua respersa sint? Profectò vel gloriæ D. Thomæ invides, vel sanctum irrides. Quotum alterum, quid damnabilius sit, tu ipse judicaveris: dum certum est, utrumque esse damnabile.

Fol. 7. dicit. Quod duo Ordinis nostri Religiosi R.F. Petrus Clerq, & P.F. Hyacinthus Choquetius primi affinxerint Spiritum Sanctum, in columbæ specie auri Sancti Thomæ, uti patet ex his ejus verbis eodem folio adductis. *Cum velint stabilire, nullam fuisse prerogativam propriam ac singularem in alys Doctoribus, quam in supereminenti gradu non habuerit Angelicus Doctor, hanc de Columbâ mutuarunt à S. Gregorij prerogativa:* Circumspectè dicit, *Mutuarunt*, ne si dicerentur emisse à S. Gregorio, in columbæ specie Spiritum Sanctum quem S. Thomæ auri appingerent, simoniæ crimen tam emptor, quàm venditor incurisse videretur. Sed magis ad rem. Igitur Pater de Clerq, & Pater Choquetius, dicuntur primi affinxisse auri S. Thomæ, Spiritum Sanctum. Hoc in confesso est apud P. de Alva, ut jam vidimus; Sed in hunc modum eum convinco imposturæ, & falsitatis. Prædicti Patres primi non affinxerunt, si pluribus ante eos annis, inveniatur Spiritus Sanctus depictus ad aurem S. Thomæ: sed sic est, quod inveniatur sic depictus: ergo. De minori sola est difficultas. Et illa quidem effica-

citer

citer probatur (ut relinquamus immemorabilem, & numquam interruptam traditionem) ex tapete quodam acu picto, Anno (ut in eodem tapete videre est) 1514. existente apud nos Mechliniæ, in quo S. Thomas torquem duplicem gestans sub scapulis, ut videlicet alluderetur ad illud ex ejus officio. *Servum gestans cum torque duplici, cappa gemmis ornata cernitur* &c. dilucidè conspicitur, & Spiritus Sanctus ad ejus auriculam, inspirans *voluntatis suæ Interpreti*, quam profudit doctrinæ copiam. Et hic quidem tapes sexaginta ad minus annis vetustior est prædictis Patribus; cum uterque noscatur mortuus post annum 30. hujus currentis sæculi. Et Choquetius quidem Anno 1645. Utinam ad huc viverent, ut ipsi pro se responderent, & retorquerent calumniam in caput calumniatoris.

Fol. 73. ubi Sanctus Antoninus dicit, quòd S. Thomas numquam habuerit motum inanis gloriæ, qui ejus à sede sua dimoveret animum: *Eo quod primum motum prævenientem rationem, ejusdem rationis judicio depressit*; mutat verba & sensum S. Antonini, & in dolo discurrit, quasi Sanctus Antoninus diceret, quod S. Thomas numquam vel primum etiam involuntarium motum senserit, præveniente eum divinâ gratiâ, ne exoriretur. Hæccine est sinceritas, Pater Reverende? Anne dicere quòd primum motum (vanæ scilicet gloriæ prævenientem, rationem ejusdem rationis judicio superveniente depressit, anne (inquam) idem est ac dicere, numquam nec involuntarium motum habuit, *quia ante primum motum superveniebat judicium rationis*? Profectò diversa sunt, & toto cælo diversa. Sed en tu dolosè confundis, ut inquiras fol. 74. utrùm sicut gratia prævenit S. Thomam, ne exoriretur in ipso motus inanis gloriæ; sic eadem divina gratia, non potuerit prevenire animam Divæ Virginis, ne in ipsa exoriretur macula Originalis peccati. Potuit utique utinam

& fa-

& factum sit de quo nihil tangimus: sed solum proponimus dolum Patris de Alva, in dolosè proposito ejus assumpto.

Fol. 76. dicit: *In Breviario impresso jussu Reverendissimi Patris Hippolyti Maria Beccaria à Monte Regali, & à Patre Paulo Castrutio Anno* 1595. *in primâ lectione dicitur.* BEATUS THOMAS DE AUSTRI PROSAPIA COMITUM DE AQUINO. *Ecce S. Thomas factus ex Domo, & familia Austriaca & in breviario; hoc enim illi deficiebat.* Nihil attingendo irreligiosam irrisionem contentam in illis verbis, *hoc enim illi deficiebat.* Dico falsissimum esse, quod in prædicto Breviario habeantur proposita illa verba *Beatus Thomas de Austri prosapia.* Protestor enim in fide Religiosâ, paratus protestationem meam juramento confirmare, imo vero si ad id urgear à Patre de Alva præsentialiter *testor Deum*, me, in Conventu nostro Mechliniensi, invenisse Breviarium impressum, *Jussu Reverendissimi Patris Hippolyti Maria Beccaria à Monte Regali, & à P. Paulo Castrutio Anno* 1595. (judicet lector utrum non sit illud ipsum, à Patre de Alva supra allegatum) in quo nec per unum jota in omnibus vel singulis lectionibus pro festo D. Thomæ mentio sit de Austriaca familia. Ecce enim ipsissima verba breviarij lectione primâ de vita D. Thomæ. *Beatus Thomas de illustri prosapia Comitum de Aquino in confinibus Campaniæ & Regni Siciliæ, originem claram duxit. Huius Sancti* &c. hæc vera sunt & sincera. Cæterum si etiam post juramentum Pater de Alva ijs non credat, supplico, ut qui per tot annos seipsum trivit discurrendo per universas, uti dicitur, Bibliothecas Europæ, non pigritetur accedere Conventum nostrum Mechliniensem, ut viso Breviario, oculis credat proprijs, qui non vult credere alienis. Donec hoc fecerit, vel dicti sui rationem aliquam allegaverit, apud me, ut men-

fictionis reus reputabitur.

Fol. 117. dicit. *Existimo, quod nihil absurdius in re scholastica, & à doctrina devia* (vult dicere magis devium) *huc usque excogitatum fuerit?* Et quod est illud? Id videlicet quod dicit Eximius P. Thomas Leonardi Sacræ Theol. in Academia Lovaniensi Magister & publicus Professor; quod videlicet S. Thomas in argumento; *sed contra*, non semper soleat argumentari efficaciter, & juxta propriam mentem: cujus signum est quod aliquando solvat argumentum, *sed Contrà*. Hoc illud est, quo nihil absurdius in re scholastica hucusque excogitatum est. Nec hoc temerario suo dicto contentus, de hoc eodem, quod videlicet S. Thomas in argumento; *sed Contrà* non semper argumentetur efficaciter, sed quod aliquando solvat argumentum, *sed contrà*. Fol. 155. discurrit in hunc modum: *Quæ omnia ità distant à veritate, ut mirer, quomodò sui hoc permittant; nam hac unica solutione, reddit inefficacem, inermem & frivolam totam doctrinam D. Thomæ.* Et paucis interjectis: *Secundum istam rationem resolvit quæstionem, ita ut numquam inveniatur quod solvat istam rationem ultimam*, SED CONTRA, *& sic est falsum quod tunc non loquatur iuxta propriam mentem.* Retorquendo dictum in auctorem, existimo ego, quod nihil absurdius dici possit à Lectore aliquo Iubilato (talem enim decuisset legisse, & perlegisse Summam D. Thomæ) quàm dicere quod S. Thomas numquam inveniatur solvisse argumentum, *sed contrà*, sed quod in eo semper argumentetur efficaciter. Non sum vir magnarum litterarum ab heri & nudius tertius, sufficiens tamen ut in hac parte convincam veritatem istius dicti ab Eximio P. Magistro Nostro Leonardi, & demonstrem falsitatem allegatam ab ipsius impugnatore. Numquam invenitur quod S. Thomas solvat istam ratio-

nem ultimam, *Sed contrà*? Lege eum, & post hoc digitum superpone ori tuo, lege eum primâ Parte, qu. 13. art. 5. qu. 14. art. 16. qu. 17. art. 1. qu. 24. art. 1. qu. 29. art. 2. ad quartum & ad quintum: & omnibus illis locis invenies argumenta, *Sed contrà* usque ad unum soluta. Nunquam invenitur quod S. Thomas solvat istam rationem ultimam, *Sed contrà*? si prædicta jam loca non sufficiant, lege S. Thomam ulteriùs eâdem primâ Parte qu. 30. art. 3. ad 3. ubi S. Thomas non tantùm solvit argumentum, *Sed contrà*, sed dilucidè dicit: *Sciendum quod auctoritates in oppositum inductæ* (id est, in argumento, *Sed contrà*, in alijs enim argumentis nullas authoritates adduxerat, induxerat autem duas in argumento, *Sed contrà*) *non probant sufficienter propositum*. Perge ulteriùs ad quæst. 32. art. 3. ad 4. iterùm & ad 5. Transilias ad 2. 2. quæst. 10. art. 9. ad 1. qu. 88. a. 11. qu. 96. a. 4. qu. 98. a. 4. q. 107. a. 3. q. 123. a. 12. & qu. 147. art. 4. ad 5. & ex argumentis, *Sed contrà* ibidem quoque solutis discas non calumniari. Sed Ecce, dum ipsi nunc ostendimus S. Thomam sæpius solvere argumenta, *Sed contrà*, insurgit acrius fol. 156. & dicit: *Si in illo argumento*, SED CONTRA *non loquatur Angelicus Doctor ex proprijs & efficaciter, ergò neque in alijs similibus argumentis*, SED CONTRA, *& cùm in quolibet articulo suæ Summæ habeat argumentum*, SED CONTRA, *sequitur quod in tota sua Summa Theologiæ, nec saltem semel argumentetur efficaciter, sed semper inefficaciter. &c. Quid ergò restat de doctrina S. Thomæ, vel quid est approbatum ab Ecclesiâ, Summis Pontificibus, Christo, Virgine Mariâ, Apostolis &c. ut Canonicum, Catholicum, verum, indubitatum, concludens?* Doleo equidem, quod vir magni alioquin nominis inter suos, ita patenter manifestet suam, non dico doctrinæ, sed & scriptorum D. Thomæ, inscientiam

&

& ignorantiam. Si vel semel aperuisset Summam D. Thomæ, post argumentum, *Sed contra*, invenisset profectò, *Respondeo dicendum* &c. invenisset solutiones argumentorum propositorum in articulorum principijs. Hoc restat, imò ibi incipit Doctrina D. Thomæ, hoc approbatum est ab Ecclesia, Pontificibus, Christo, Virgine Maria, Apostolis &c.

Fol. 120. dicit: *De qua* (hâc videlicet propositione, Maria fuit concepta sine peccato Originali) *sola, scripti sunt plures libri, tractatus, opuscula, sermones, capita, sententiæ, quam litteras habet S. Thomas in suis septemdecim vel 23. libris*. Et nota quod hi 23. tomi sint libri in Folio. Ex quo deduco quod illa exaggeratiò plus convicij mereatur, quàm exaggeratio nostri Generalis Turci, cui ex eo quod dixisset, quod posset ostendere milliades gravissimorum Auctorum pro sua sententiâ, objicit per convicium quod esset privatus uno oculo, fol. 35. dicens: *Reverendissimus Pater non benè videbat*. Et clariùs fol. 670. *Quia cùm ipse esset totaliter orbatus uno oculo, & altero non rectè videret, judicavit numerum 9. esse 4. propter characterum similitudinem*. Quòd si Pater de Alva gaudeat utroque oculo, opto ei ex animo, ut imposterùm de numero eorum sit, de quibus dicitur Eccles. 2. *Sapientis oculi in capite eius*. Sic enim non tam turpiter post hac impinget, ut ad quemcumque activæ offensionis lapidem, vel petram scandali, offendat pedem suum.

Fol. 121. dicit, quod *omnia & singula edita sub nomine S. Thomæ, licet nihil habent recommendationis, nisi quod fuerint subscripta sub ejus nomine, cùm in rei veritate non sint sua Opera, sunt sancta, sanctissima, divina* &c. & quod *sic debent recipi ab omnibus tamquam Catholica & vera, ita quod de aliqua sententia dubitare, ab illa recedere vel illi contradicere, sit nefas, piaculum, scandalum*

*& nequitia magna &c.* Contradicit sibi & dicto suo fol. 22. & seipsum falsitatis arguit. Ibi enim refert ex Patre Paulo Nazario, hæc verba sequentia. *Vltima regula ex impressione Romana: Inter opuscula D. Thomæ illa sunt censenda legitima, quæ maioribus characteribus sunt impressa: ea verò quæ minoribus sunt excusa characteribus, neque legitima, neque spuria, regulariter certò æstimanda sunt, sed tamquam dubia recipienda.* Si hæc regula in schola Thomistica recepta sit, sicut reipsa est, quam & ego sæpius in nostra eadem schola vidi obscrvari, hoc dictum P. de Alva somniavit ex proprio; unde tantâ fide dignum est, quam is, qui somniavit illud.

Fol. 122. dicit quod hoc prædicatum, *immaculata*, dicatur in primo modo per se de D. Virgine, ly vero, *approbata*, de doctrina D. Thomæ in quarto modo. Meminerit; quod juxta regulas dialecticas, prædicetur in primo modo per se, id quod est de essentia subjecti, vel saltem necessario subjecto competit. Quod si hujus regulæ recordatus fuerit dum hæc scripsit, videat quomodo non impingat in errorem, quod creatura sit essentialiter, vel necessario *immaculata*: ac per consequens sancta, quod citra blasphemiam dici non potest.

Fol. 124. post multa absurda dicit, quod sententia Thomistarum in materia Conceptionis, in Concilio Tridentino miserabiliter *confusa & lacerata recessit.* Et fol. 569. quod in Concilio eodem, & bullis Pontificum non dicatur semel sed *centies* D. Virginem conceptam sine peccato originali. Concilium appello, Pater Reverende non ut agam contra oppositam sententiam, quam nec in cortice volo tangere sed pro justitia causæ nostræ, ne apud minus peritos, credatur sententia nostra, à Concilio Tridentino reprobata, dum ab eodem per Patrem de Alva di-

citur

citur *confusa & lacerata*; & contraria putetur ibidem definita, non obstante quod Sanctissimus Dominus noster Alexander VII. in Bulla sua, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, apertè testetur punctum illud controversiæ nec se velle dicidere, nec à Romana Ecclesia & ab Apostolica sede usque nunc esse decisum. Proinde nihil tangendo de conceptione, sed purè putè inquirendo quid in Concilio Tridentino circa sententiam contrariam actum sit, quæro ego à te Pater Reverende si memineris Decretorum Concilij Tridentini quâ Sessione, quo Canone, quo folio, aut lineâ, sententia Thomistarum, confusa est & lacerata? Ne aliqui Ordinem nostrum despiciant tamquam refractarium Concilio Tridentino, redde rationem dicti tui. Sed quomodo reddes? Revolue totum Concilium, & mendax sum, si vel verbum inveneris imposturæ tuæ consentaneũ. Equidem sessione 5. leges hæc verba: *Declarat tamen hæc Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eius constitutionibus contentis, quas innovat.* Quid autem constituit Sixtus IV? Postquam in Bulla *Grave nimis*, tulerat excommunicationis sententiam, contra eos, qui dicerent adhærentes contrariæ sententiæ de immaculatâ Conceptione peccare mortaliter, vel hęresis crimen incurrere: *Item*, inquit in eâdem Bullâ, *motu, scientiâ & authoritate similibus, simili pœna, ac censura subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesiâ, & Apostolicâ sede decisum.* Illa est confusio illa laceratio quam Sententia nostra passa est in Con-

lio Tridentino, quod videlicet pro ea Concilium innovaverit excommunicationem latæ sententiæ contra eos, qui dicerent, peccare eos mortaliter vel hæresis crimen incurrere, qui contrariam piæ opinioni tenerent sententiam. In eo miserabiliter lacerata est, quod easdem pœnas & censuras quas etiam innovavit Alexander VII. infligi voluit impugnantibus, modo dicto contrariam sententiam, quam infligi Sixtus voluerat impugnantibus opinionem seu sententiam de præservatione: quæ in hoc centies admissa dicitur ab eodem Concilio, quod semel, in eo dicatur non esse suæ intentionis comprehendere Immaculatam Dei Virginem in decreto de peccato originali, nec tamen velle excludere, sed insistendum prædictis Constitutionibus Sixti IV. Hæc prædicta apud Lectorem nihil aliud probent (memini enim ubique primæ meæ protestationis, quam & nunc innovo) nihil aliud, inquam, probent, quam quòd Pater de Alva contra nos assumpserit falsum & imposuerit. Sententiam enim nostram nec in minimo, per eadem intendi probare nec probo: sed solum eam vendico à calumnijs Patris de Alva, ut maneat in ijs terminis, in quibus sua Sanctitas Alexan. VII. eam reliquit.

Fol. 127. *Quid dicendum*, inquit, *de illis qui adducunt tot Patrum, Doctorum, & Scholasticorum loca depravata, non alia intentione & fructu, nisi ut depravent omnes Sanctos Patres, Doctores & Scholasticos Catholicos, condemnent eorum scripta & doceant non esse legenda vel audienda, sed solùm illa quæ sunt scripta sub titulo & nomine S. Thomæ*; si hæc quæstio, sit quæstio juris, plagis multis vapulare tales digni sunt. Si vero sit quæstio facti, nihil pro nunc curando de hujusmodi depravatoribus (nullum enim in particulari adducit, quem purgemus) retorqueo verba quæstio-

nis, &

nis; & inquiro. Quid dicendum de P. de Alva qui per totum librum suum, tot adducit pravos discursus, non aliâ intentione nisi ut tollat omnem authoritatem ab Angelico Magistro, condemnet ejus scripta, tamquam scatentia gravissimis erroribus: non alio fructu, quam ut discipulos deterreat à sequela *Communis Magistri*, doceat non esse legendum vel audiendum, sed solùm eos qui scripserunt conformiter ad ejus palatum, v. g. Scotum, quem tamquam è cathedra, ipse vel ejus socius, in curribus Bruxellensibus: præ S. Thoma legendum, una secum Bruxellas petenti, vel eo revertenti Religioso viro persuadere conatus est, inquirens inter cætera, quid ni Scotum sequeretur, qui tunc temporis sequebatur Thomam?

Fol. 154. Inquirit an certum sit, quod corpus S. Thomæ, post mortem manserit incorruptum? Et respondet: *Certissimum, quia ita refertur à quodam Sancto Ordinis Prædicatorum, Scriptore magnæ fidei*, scilicet à S. Antonino, ut patet ex contextu. Magnæ fidei Scriptorem S. Antoninum ironicè dicit, ut palpare est fol. 278. ubi dicit inter cætera: *Cùm ferè omnia locutus fuerit ex relatione & quàm plurima ex mala quidem relatione, ita ut necesse fuerit ut quidam Pater Iesuita, manum mitteret, & multa castigaret, & animadverteret in ipsius historia.* Magnæ profectò fidei auctorem esse, necesse est, qui scripsit quàm plurima ex malâ relatione.

Fol. 159. Inquirit: *Præponere doctrinam S. Thomæ, Scripturæ Sacræ Canonicæ, sacrorum Conciliorum, est Calumnia aut blasphemia?* Respondet: *Non. Quia Summus Pontifex dedit doctrinæ S. Thomæ hoc privilegium.* Qualiacumque dederint Summi Pontifices doctrinæ D. Thomæ privilegia: sciat Pater de Alva numquam sibi à quocumque Pontifice hujusmodi datum privilegium, ut contrà Sanctum tam infamem lo-

quereretur calumniam, tam irreligiosum effutiret blasphemiam. Cui enim vel per somnium incidit, non dico præferendam, sed vel nudè comparandam doctrinam D. Thomæ, doctrinæ; seu scripturæ canonicæ. Si hoc inciderit Don Francisco Quenedo sua inter somnia, à quibus Somniatoris Hispanici vocabulum sortitus est, habet Pater de Alva fundamentum solidum sui dicti, nisi illud maluerit fundare super propriâ phantasiâ & imaginatione.

## NODUS SECUNDUS.

CONtinet hic Nodus condemnationem 222. articulorum factam à Stephano Secundo Episcopo Parisiensi: & ejusdem annullationem pro quanto tangebat vel tangere dicebatur doctrinam S. Thomæ, factam à Stephano ejusdem nominis Tertio, etiam Episcopo Parisiensi.

Antequam attingamus Nodum hunc, in quo Pater de Alva, dum cogitavit nos innodare, seipsum adeò indissolubiliter intricavit, ut sine revocatione aliquorum in eo dictorum, se extricare non possit, ut postea videbimus. præmittenda sunt ea quæ dicit idem Pater de Alva fol. 165. *Mortuo Angelico Doctore, & deficiente è scholis, hâc stellâ matutinâ, Ecclesiæ insigni Candelabro & luce, & hoc clarissimo Sole, aliquæ tenebrosæ umbræ in fide, & errores pessimi in doctrina Catholica inter calamos & linguas studentium pullulare cœperunt: Vndè coactus fuit prædictus Stephanus Episcopus, utpotè in causa fidei ordinarius Iudex, post tres annos à morte S. Thomæ, id est anno 1277. publicè damnare ducentos viginti duos errores, propositiones malè sonantes seu hæreses in sana doctrina super seminatas.* Hunc discursum de origine condemnationis 222. articulorum,

permittimus transire tamquam verum: concordat enim cum litteris ipsius Stephani ab eodem Patre de Alva adductis eodem folio.

Cæterum ex illo evidenter deducimus, Doctorem Angelicum, nec in uno doctrinæ suæ articulo participasse ducentis illis & viginti duobus condemnatis articulis, & per consequens nec in minimo ab Episcopo vel Universitate condemnatum. Teste enim Patre de Alva, hæc condemnatio non diu contigisset post mortem Doctoris Angelici. Sed tunc Episcopum & Universitatem condemnasse in aliquo S. Thomam, & sub excommunicationis pæna exclusisse eum à scholis, apud judiciosos credibile non est: ergo. Minor probatur ex eo quod prædicta Universitas ex hoc ipso quod audierat mortem S. Thomę, ad Magistros & Provinciales Ordinis nostri in Generali Capitulo Lugdini congregatos anno 1274. litteras dederit, in quibus, inter cętera, ita loquitur* *Singultuoso clamore totius Ecclesiæ universale dispendiū, nec non & Parisiensis Studij manefestam desolationem lachrimabiliter deplangimus & his diebus, praelegimus in communi, non immeritò deplorare. heu! heu! heu! quis det nobis ut representare possimus Ieremiæ lamentum! fatemur, vix valemus exprimere (amor enim retrahit, sed dolor & vehemens angustia dicere nos compellit) ex communi relatu & certo rumore multorum nos scire, Doctorem venerabilem Fratrem Thomā de Aquino ab hoc sæculo fuisse vocatum. Quis posset æstimare divinam Providentiam permisisse,* STELLAM MATUTINAM PRÆEMINENTEM IN MUNDO, JUBAR IN LUCEM SÆCULI, IMO (*ut verius dicamus*) LUMINARE MAIUS QUOD PRÆERAT DIEI *suos radios retraxisse?* Et paucis interjectis. *Quem vivum non potuimus rehabere, ipsius iam defuncti ossa nobis pro maximo munere postulamus: quoniam omnino est indecens & indignum, ut altera natio*

 *aut*

**Step. de Sampayo in Stemmate Ord. FF. Præd.*

*aut locus, quam omnium nobilissima Parisiensis Civitas, quæ ipsum prius educavit, nutrivit & fovit, & postmodum ab eodem doctrinæ documenta, & inæstimabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat & sepulta. Si enim merito Ecclesia, ossa & reliquias sanctorum honorat, nobis non sine causa videtur honestum & sanctum, tanti Doctoris corpus in perpetuum penes nos haberi in honore, ut cujus famam, apud nos scripta perpetuant, eiusdem perseverans memoria sepulturæ, ipsorum in cordibus successorum nostrorum stabiliat sine fine. Cæterum sperantes, quod obtemperetis nobis cum effectu in hac petitione devota, humiliter supplicamus, ut cum quædam scripta ad Philosophiam spectantia, Parisiis inchoata, ab eo relicta sint imperfecta, & ipsum credamus ubi translatus fuerat complevisse, nobis, benevolentiâ vestrâ, certò communicari procuretis & specialiter super libros de cælo & mundo* &c. Ex his deducimus tamquam certam conclusionem eamdem Universitatem, S. Thomam nec in minima doctrinæ suæ parte anno 1276. vel 1277. condemnasse: neque enim ullo modo credibile est, Universitatem mente styloque statim in contraria mutatis, pauculo temporis interjecti spatio, processisse ad condemnandas & anatematizandas Angelici Doctoris conclusiones, illius dico, quem ita venerabundi ante celebrarant, nominarant STELLAM MATUTINAM, IUBAR IN LUCEM SÆCULI, LUMINARE MAIUS QUOD PRÆERAT DIEI. Cujus doctrinam INEFFABILIA PARISIENSIS STUDII dixerat FOMENTA, cujus, Philosophica quædam scripta adeo æstimarat, ut humili supplicatione protestaretur se ea requirere: (quid fecisset de scriptis Theologicis?) cujus obitum, Parisiensis studij manifestam esse desolationem, non fuerat verita, proclamare.

Hanc deductam à nobis conclusionem confirmant etiam ipsæ litteræ condemnationis Stephani secun-

dis in

di, in quibus manifestè declarat suam condemnationem procedere contra nonnullos Parisijs studentes in Artibus, qui propriæ facultatis limites transgressi, execrabiles illos errores disputare & tractare præsumebant; nullo verbo allato quod S. Thomam, vel insinuativè attingeret: unde si in aliquibus libris v. g. Magistro sententiarum, in quibus prædicti articuli recensentur, ad unam propositionem additum inveniatur, *Contra fratrem Thomam*, additio est primitus orta ex non bono quorundam erga S. Thomam animo. Idque patet evidentius primo quidem ex Illustrissimo & R.mo D. Ægidio de Columnâ Romano, ex Ordine Eremitarum S. Augustini S. R. Ecclesiæ Cardinali &c. S. Thomæ quondam discipulo, & qui tempore condemnationis prædictæ Parisijs floruit. Is etenim in Correctorio Corruptorij Guilhelmi Lamerensis Ordinis etiam Fratrum Minorum S. Thomæ Corruptoris, in responsione ad Corruptorium undecimum in quo dicitur condemnatam esse per Episcopum & Magistros Parisienses hanc propositionem, *Impossibile est esse duos Angelos eiusdem speciei*: sic respondet. Quod vero dicant damnatum per Episcopum & per Magistros, salvâ eorum pace, non est verum. Si hoc dicat coætaneus condemnationi factæ per Stephanum Episcopum Parisiensem, & vir ea tempestate summæ Parisijs authoritatis, profecto convicimus clausulam illam *Contra fratrem Thomam*, libris impressis adjectam ex invidia quorumdam malevolorum. Etenim ad illam unicam propositionem de immultiplicabilitate numerica Angelorum illa clausula adjecta est, in qua tamen dicit Ægidius non esse verum S. Thomam fuisse condemnatum: quanto minus in reliquis, quibus prædicta clausula adjuncta non est. Idipsum patet secundò ex litteris revocatorijs seu annullatorijs

præ-

prædictæ condemnationis, ipsius Stephani tertij, in quibus manifestè dicit, non quidem condemnatos aliquot articulos D. Thomæ, sed quod Prædecessores sui, 222. articulos per excommunicationis sententiam damnassent, quorum tamen nonnulli doctrinam Eximij Doctoris B. Thomę de Aquino de Ordine Prædicatorum tangere ab aliquibus asserebantur. Patet idipsum ex libello Universitatis Parisiensis edito contra Joannem Montesonum: in quo etiam ut videre est apud Patrem de Alva fol. 52. & 209. dicit Universitas hæc verba. *Prædicta S. Thomæ doctrina, secundum quosdam est in fide erronea, seu in aliqua sui parte de hujusmodi errore suspecta. Et in hac conclusione non assertivè, sed solum relativè loquimur, dicunt enim aliqui quod ista doctrina multos errores continet.* Quod si vero in condemnatione illa haberetur ad aliquas propositiones, *Contra fratrem Thomam*, utique non se referrent ad aliquorum tunc viventium dicta, sed ad ipsas litteras Originales Stephani secundi, quæ proculdubio tunc saltem temporis vel in archivo Episcopali, vel Universitatis servabantur.

Quod si quis contra prædicta urgeat nomine Patris de Alva, propositiones aliquas ex damnatis reperiri in operibus D. Thomæ, ut v.g. hanc, *Quod Deus non posset facere plures Intelligentias eiusdem speciei.* Respondeo nos non abnuere hujusmodi propositionem contineri vel in sensu, vel ad litteram in S. Thoma, cum nos quotidiè in Philosophia, & Theologiâ nostrâ illam defendamus tamquam S. Thomæ. Cæterùm universaliter loquendo de quibuscumque Propositionibus S. Thomæ, quantumcumque videantur esse affines secundum litteram propositionibus condemnatis, audacter dico, nec unam esse condemnatam in sensu à S. Thoma edocto & intento. Quod non aliundè probo quam ex ipsa revocatoriâ Stephani, in

ni, in qua apertè dicit, se annulare excommunicationis sententiam, latam contra illos 222. articulos à prædecessore suo Stephano Secundo, pro quanto tangere videbatur doctrinam S. Thomæ, propterea quod attendisset, cum Capitulo & Decano Ecclesiæ Parisiensis, *iniustam S. Thomæ denigrationem*, quæ ex eo oriebatur quod quidam malevoli, comprehenderent aliquot Propositiones S. Thomæ sub articulis condemnatis, Quod si injusta fuerit in hac parte S. Thomæ denigratio, numquam contra ejus doctrinam processerat prædicta condemnatio. Et verò hujusmodi denigrationem fuisse injustam, præter Stephanum Parisiensem cum Decano & Ecclesiæ suæ Capitulo, illis omnibus anterior sufficienter ostendit Ægidius Romanus Ordinis S. Augustini, ipsius quondam S. Thomæ, ut diximus, Auditor: qui prædictis malevolis se murum validum opposuit, ut videre est in Defensorio ejus pro doctrina S. Thomæ, in quo doctrinam sui Magistri à calumnia insigniter purgavit & strenuè tutatus est. Eradat proinde Pater de Alva ex titulo secundi sui Nodi, verba hæc: *Nodus secundus, inter condemnationem* CERTAM aliquorum articulorum doctrinæ S. Thomæ &c. Illa enim condemnatio certa non est, quæ deprehenditur, non nisi in malevolorum hominum opinione, contra S. Thomam processisse.

Sed processerit, ne Patrem de Alva nimis coarctemus (quod tamen omnino negamus) processerit illa condemnatio ex intentione Stephani secundi contra doctrinam D. Thomæ & quidem in sensu à S. Thoma intento, ut refert idem Pater de Alva ex Joanne Vitali, & Joanne Alaño Doctoribus Parisiensibus fol. 210. Condemnaverit propositiones ut erroneas & scandalosas: neque enim hoc vergit in dehonorationem Thomæ nostri. Quidquid enim cum injustè esset

esset condemnatum, à condemnationis sententia legitimè est absolutum, vergere nos potest in dehonorationem istius contra quem fuerat condemnatum. Sed sic est, quod si aliqui articuli fuerint à Stephano 2. contra Sanctum Thomam condemnati tamquam erronei, quod injustè fuerint condemnati, & legitimè à condemnationis sententia fuerint absoluti: ergo. Major patet. Et minor quoad illam partem quod legitimè fuerint ab excommunicationis sententia absoluti, patebit simul cum altera parte ejusdem minoris, quæ probatur hoc modo. Si fuerint justè prædicti articuli contra S. Thomam, tamquam erronei & scandalosi condemnati, numquam potuerunt ab excommunicationis sententia ab aliquo absolvi, & reduci ad scholas cum isto testimonio, quod nihil unquam Sanctus Thomas senserit, docuerit seu scripserit, quod sanæ fidei vel bonis moribus adversetur: sed si qui fuerint articuli à Stephano 2. contra S. Thomam condemnati, ab excommunicationis sententia, à Stephano 3. Parisien. etiam Ecclesiæ Episcopo, fuerunt absoluti & reducti ad scholas, cum testimonio prædicto: ergo non fuerunt justè condemnati: ergo injustè. Major patet, hoc enim esset reducere errores & propositiones scandalosas ad scholas, imo vero proponere errores &c. ut sanam doctrinam. Et minor probatur ex ipsissima epistola Stephani tertij, quâ prædictos articulos, si qui fuerint, absoluit ab excommunicationis sententia &c. quam de verbo ad verbum referimus ex ipsomet Patre de Alva fol. 178. ne videamur fingere, & procedit in hunc modum.

*Vniversis præsentes litteras inspecturis Stephanus permissione divinâ Parisiensis Episcopus salutem in omnium Salvatore. Magistra rerum experientia, certis indicijs evidenter demonstrat multa quibusdam temporibus ordinata*

*consultè, novis emergentibus causis, succedentibus temporibus, in contrarium debere consultius immutari. Dudum siquidem felicis memoriæ quidam Prædecessores nostri Parisienses Episcopi, quosdam articulos, ne forsitan eos malè intelligentes, caderent in errorem, tamquam erroneos per excommunicationis sententiam damnarunt, & interdixerunt expressè, Quorum tamen non nulli doctrinam Eximij Doctoris B. Thomæ de Aquino de Ordine Prædicatorum, tangere ab aliquibus asseruntur. Quam articulorum condemnationem, & sententiarum promulgationem, Venerabiles Viri Decanus & Capitulum Ecclesiæ nostræ Parisiensis, sicut veritatis zelatores intimius considerantes, nec non doctrinæ & famæ B. Thomæ prædicti injustam denigrationem, veritatis occultationem, & S. Romanæ Ecclesiæ aliqualem dehonorationem, per Venerabiles Viros Magistrum Annibaldum Decanum, Attrebatensem Archidiaconum S. Theologiæ Doctorem, & dominum Petrum de Fagello, Parisienses Canonicos, eorum propter hoc nuncios ad nos specialiter destinatos, nos requisiverunt, nobisque supplicaverunt, quatenus vocatis omnibus sacræ Theologiæ Doctoribus, ac cum eisdem communicato consilio, & diligente habita deliberatione, & cum alijs, qui de talibus & in talibus plura possunt, veritatis viam aperiremus, per quam in prædictis articulis, in quantum doctrinam B. Thomæ prædicti tangere possunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & prædicti S. Thomæ honorem, & reverentiam servaremus. Nos igitur attendentes cum eis, quod Sacro Sancta Romana Ecclesia fidelium omnium mater, & magistra in firmißima Petri, Christi vicarij confeßione fundata, ad quam velut universalem regulam, Catholicæ veritatis pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum & consultatio errorum, præfatum Doctorem venerabilem,* CUIUS DOCTRINA FULGET ECCLESIA UT SOLE LUNA, *nuper Sanctorum Catalogo describendum*

*decre-*

*decrevit; diligenti discußione, & examinatione prehabitâ super vita ipsius & doctrinâ, ipsamque ad vitam puram & doctrinam salubrem orbi terræ commendabilem prædicavit Cupientes igitur Gloriosum dominum in sanctis suis, apud fidelium devotionem in terris gloriosius exaltari; ac SS. Matris nostræ prædictæ, desiderantes vestigia sancta pro viribus imitari, Dictumq; Confessorem feliciter in cælis regnantem, apud terrigenas devotius & celebrius honorari; & præsertim cum fuerit, & sit* UNIVERSALIS ECCLESIÆ LUMEN PRÆFULGIDUM, GEMMA RADIANS CLERICORUM, FILOS DOCTORUM UNIVERSITATIS NOSTRÆ PARISIENSIS, SPECULUM CLARISSIMUM ET INSIGNE; CLARITATE VITÆ FAMA DOCTRINÆ, VELUT STELLA SPLENDIDA ET MATUTINA REFULGENS, *per Venerabiles, ac dilectos Conciliarios nostros fideles, Magistrum Hugonem de Bisuntio Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de Nova Villa, & dominum Odonem de Senonis Canonicos Parisienses, inquisitione facta super dictis articulis apud Doctores Theologiæ Facultatis in eorum Congregatione generali regentium & non regentium, Secularium & Regularium ad hoc specialiter convocatâ;* COMPERTO PER DEI GRATIAM, DICTVM CONFESSOREM BEATVM, NIHIL VMQVAM SENSISSE, DOCVISSE, SEV SCRIPSISSE, QVOD SANÆ FIDEI VEL BONIS MORIBVS ADVERSETVR *de consilio Venerabilium Virorum Decani, & Capituli Parisiensis, & Venerabilis Patris Domini Guilielmi Dei gratia Archi-Episcopi Viennensis Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum 23. Magistrorum in Theologia; unà cum Reverendo Patre prædicto, in litteris sub eorum sigillis, per præfatos Commissarios nobis missos, nec non & triginta novem Baccalaureorum in Theologia super hoc per litteras eorum proprijs subscriptionibus & sigillis munitis, nobis super hoc consulentium, & rogantium humiliter & devotè, & aliorum*

*discre-*

*discretorum solemni, ac maturo consilio super hoc habito, supradictam articulorum condemnationem & excommunicationis sententiam, quantum tangunt, vel tangere asseruntur doctrinam B. Thomæ prædicti, ex certa scientia, tenere præsentium totaliter annullamus. Articulos prædictos non propter hoc approbando, seu etiam reprobando, sed eosdem discussioni scholasticæ libere relinquendo. In cuius rei confirmationem & testimonium, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum apud Gentiliacum anno Domini 1324. die Iovis ante sacros cineres.*

Ex hujus Epistolæ revocatoriæ clausulis patet minor, quæ ad efficaciam nostri argumenti restabat probanda.: prædictos videlicet (si qui fuissent) articulos, legitimè absolutos ab excommunicationis sententia à Stephano III. & ab eodem reductos fuisse ad scholas cum testimonio, DOCTOREM SANCTVM, NIHIL VNQVAM SENSISSE, DOCVISSE, SCRIPSISSE, QVOD SANÆ FIDEI AVT BONIS MORIBVS ADVERSETVR. Cæterùm, Videamus breviter quid Pater de Alva sentiat de hac epistola revocatoria Stephani III. Et primò quidem eam absolutè negare non audet, quamvis fidem ejus, quod pro S. Thoma sit, conetur quibusdam conjecturis extenuare. Verùm de illis conjecturis nihil curando donec rationibus contrarium evincatur, prædictam revocatoriam proponimus ut legitimam, cum pro nobis stet possessio, & Pater de Alva, præter quatuor istius revocatoriæ transumpta seu copias, quas fol. 180. & 181. dicit se invenisse in archivo Universitatis Parisiensis, adducat fol. 190. & 193. Patrem Girandum Renerium S. T. Doctorem Parisiensem, tamquàm testem ocularem litterarum revocatoriarum Stephani, quas admittente Pater de Alva, ille idem Girandus transcripsit ex originali illarum, existente apud nos Parisijs in Conventu S. Jacobi.

Nec in hoc diutius immoramur, cùm vel maximè Pater de Alva per totum hunc Nodum glossetur eandem revocatoriam, & ex ipsa tamquam legitimâ, formet contra nos obloquia, quibus respondendis præstat nos intendere, quam velle esse nimis justos in demonstrando realitatem Epistolæ apud omnes à sæculis admissæ. Retulerat eum in Compendium R. P. Joannes Paulus Nazarius in Opusculo suo de scriptis D. Thomæ: sicut & Illustrissimus noster Didacus Alvarez Archiepiscopus Tranensis & Salpensis, in suo Opere de Auxilijs Disput. 5. folio 52. ubi sic loquitur: *Sed modico tempore fracti sunt fluctus isti*: (agit autem de condemnatione pro quanto tangere videbatur S. Thomam) *etenim Anno Domini 1325. Stephanus tunc ibi Episcopus, simul cum omnibus Doctoribus Theologiæ, Ecclesiæ, & Vniversitatis, qui numero erant 72. habitâ longâ consultatione & studio, omnes & singulas Catholicas esse indicarunt.* Cæterùm in his verbis non ita sibi complacet P. de Alva, imò ea impugnat in hunc modum fol. 176. *Tertium multùm à veritate distat, quia fluctus illi sunt fracti à Stephano Anno 1324. non anno 1325. nec fuerunt præsentes ad fractionem illam omnes Doctores Ecclesiæ Parisiensis, sed tantùm tres, & multò minùs Vniversitatis quia non fuerunt 72. sed 62. quorum 39. fuerunt Baccalaurei: nec circa hoc fuit habita longa consultatio, nec brevis, neque multæ illæ propositiones condemnatæ, fuerunt magno vel parvo studio examinatæ &c. nec indicatum est omnes & singulas esse Catholicas, vel non Catholicas.* Quod Pater Alvarez pro Sancto Thoma plantaverat, contradictionis suæ sarculo nititur evellere Pater de Alva, sed videamus nos quo fundamento, quâ sinceritate? Equidem in hoc verum dicit quod non fuerint septuaginta duo, sed 62. Doctores una cum Baccalaureis, sic enim dicitur in ipsa revocatoria Stephani.

ni. Transeat etiam quod erraverit Alvarez in citatione anni revocationis. Hi enim errores parvi sunt, nec digni æstimatione. Verùm numquam dicit Alvarez, ut tamen assumit Pater de Alva, quod omnes Doctores tam Ecclesiæ quàm Universitatis Parisiensis fuerint præsentes dum fluctus illi fuerunt fracti, sed solùm dicit, quod Stephanus unà cum omnibus Doctoribus tum Ecclesiæ, cùm Universitatis Parisiensis, id est, de eorum consilio judicaverit omnes &c. esse Catholicas, ut patet ex verbis Alvariz jam relatis. Et hoc fuit verum. Ecce enim verba ipsius Stephani ex epistola jam relata: *Inquisitione factâ super dictis articulis apud Doctores Theologiæ Facultatis, in eorum Congregatione Generali Regentium, & non regentium, Sæcularium & Regularium ad hoc specialiter convocata.* Et parùm infrà: *De consilio Venerabilium Virorum D. Decani & Capituli Parisiensis.* Igitur fluctus illi fuerunt fracti à Stephano simul cum omnibus Doctoribus tam Ecclesiæ, quàm Universitatis Parisiensis. Pro quo enim supponit Decanus cum Capitulo Ecclesiæ Parisiensis, nisi pro omnibus Doribus ejusdem Ecclesiæ? Pro quo supponit Congregatio Generalis Doctorum Theologiæ Facultatis, tàm Regentium quàm non Regentium, Sæcularium & Regularium, nisi pro omnibus Doctoribus Universitatis? Temerariè proindè dicit Pater de Alva, fluctus illos non fuisse fractos ab omnibus Doctoribus Universitatis, & tantùm à tribus Doctoribus Parisiensis Ecclesiæ, nisi fortassis solùm tres habuerit, in quo casu mansissent equidem fracti ab omnibus Doctoribus istius Ecclesiæ fluctus prædicti. Non minùs temerariè etiam dicit: *Nec circa hoc fuit longa consultatio nec brevis, neque multæ illæ propositiones condemnatæ, fuerunt parvo vel magno studio examinatæ*, in hoc enim dicto suo mendacem facit Stephanum Episco-

pum, in eadem ut jam vidimus Epiſtola dicentem: *Inquiſitione factâ ſuper dictis articulis apud Doctores Theologiæ Facultatis, in eorum Congregatione Generali* &c. quam profectò Congregationem certum eſt non dediſſe ſuam Epiſcopo reſolutionem ſuper dictis articulis, niſi conſultatione longâ præhabitâ, & præmiſſo diligenti & ſtudioſo examine. Quoad ultimam clauſulam contradictionis Patris de Alva: *nec iudicatum eſt omnes & ſingulas eſſe Catholicas vel non Catholicas*: neſcio quo fundamento hoc dicat. Qui enim aſſerit, uti facit Stephanus in ſua Epiſtola, ſe comperiſſe per Dei gratiam, S. Thomam *numquam* ne modo ſcripſiſſe, ſed nec ſenſiſſe, nec docuiſſe, quod ſanæ fidei aut bonis moribus adverſetur, univerſa ſcripta ejus ex conſequenti approbavit ut Catholica. Nec obſtat quod in fine revocatoriæ condemnationis, apud Patrem de Alva habeatur: *Articulos ipſos non propter hoc approbando vel etiam reprobando*: fortaſſis enim (ut certo putamus) non habetur illa clauſula in illis revocatorijs Stephani, ſicut non habetur in omnibus ferè exemplaribus, etiam Eximij Patris Girandi Renerij teſtis oculati prædictarum litterarum Stephani, ut refert Pater de Alva fol. 186. & 193. vel ſi habeatur, intelligendum eſt quod eos non approbaverit ut fidei & ut certo tenendos (præmiſerat enim in principio ejuſdem revocatoriæ, quod ſimilis approbatio pertinere ad Eccleſiam ſicut ad univerſalem regulam) cum quo tamen ſtat, quod eos admiſerit ut Catholicos, eo ſenſu, quod videlicet, nihil continerent in fide erroneum, vel ſcandaloſum, ſed tuti eſſent & ſani in fide. Imò verò ſic eos reipſa admiſit, niſi quis dicat quod ignoraverit propriam vocem, dum dixit: *Comperto per Dei gratiam Dictum Confeſſorem Beatum, nihil umquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſane fidei vel bonis moribus adverſetur.*

His

His sic constitutis descendo particularius ad Nodum, cui, ut suprà dixi se Pater de Alva ita indissolubiliter intricavit, ut sine revocatione aliquorum in eo dictorum extricare se non possit. Itaque fol. 239. dicit hæc verba: *Doctrina Divi Thomæ fuit prius interdicta ab Episcopo Parisiensi, & sub excommunicationis pœna, quoad ducentos viginti duos articulos, ut erronea in fidei condemnata, & prohibita,* DE QUO NULLA POTEST ESSE DUBITATIO, *quia sic constat ex testimonijs authenticis, & originalibus usque in præsentem diem subsistentibus.* Similia verba habet fol. 237. & 238. & sunt hæc. *Funiculus durus videtur* ( quod videlicet contra defensores suæ sententiæ, à contrarijs omnia possint objici ) *sed durior est ex altera parte, scilicet quod defensores sententiæ immaculatæ conceptionis, nec insinuativè per circumloquia; palliatis verbis, cum instrumentis authenticis, originalibus ipsis, demonstrativis & irrefragabilibus testimonijs, indubitatam fidem facientibus, non possint clamare. Quid clamare? imo nec mussitando dicere, doctrinam S. Thomæ fuisse quoad ducentos viginti duos articulos reprobatam, & condemnatam, & sub excommunicationis pœna exclusam à scholis, disputationibus & libris per Stephanum Episcopum Parisiensem: quia dicunt esse contra S. Thomæ honorem.* QUOD FUIT, *non debemus nos dicere de Angelico Doctore, quando quod præsumitur tantùm, affirmant ipsi, contra honorem Matris Dei. Nodus iste videtur magnus & indissolubilis.* Igitur secundum Patrem de Alva; S. Thomas condemnatus est à Stephano Parisiensi Episcopo, in ducentis & viginti duobus articulis. Et verò qui sunt 222. illi articuli, quos condemnavit Stephanus? Illi quorum secundum illum ipsum P. de Alva fol. eodem 165. primus est: *Deus non est Trinus & Unus, quoniam Trinitas non stat cum summa simplicitate:* Illi, quorum secundus est, *Quod Deus non possit generare sibi similem, quod enim genera-*

 *tur*

*tur ab aliquo, habet principium aliquod à quo dependet.* Quorum tertius est. *Quod Deus non cognoscit alia à se.* Quartus: Quod *Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili, ut est corpus humanum.* Illi, ut quæstionem resolvamus etiam de alijs subsequentibus, quos Pater de Alva fol. 163. vocat, *Errores, propositiones malesonantes, seu hereses in sana doctrina super seminatas:* & quos, ut eos quilibet invenire possit ad perpetuam confusionem S. Thomæ, fol. 165. extare dicit ad finem ferè omnium impressionum Magistri Sententiarum. Illi sunt articuli, in quibus, uti constat ex instrumentis authenticis, ipsis originalibus usque ad præsentem diem subsistentibus, demonstrativis & irrefragabilibus testimonijs indubitatam fidem facientibus, S. Thomas condemnatus est à Stephano Episcopo Parisiensi. Cæterùm ego ad te Pater de Alva. Ubi sunt instrumenta illa authentica, ubi ipsa originalia, ubi testimonia irrefragabilia & indubitatam fidem facientia? si ut loqueris subsistant usque ad præsentem diem, profer illa in medium: ne, si non feceris nomen veracis amittas, tamquam falsus. An pro hujusmodi instrumentis authenticis & originalibus, in quibus S. Thomas condemnatus foret quoad ducentos illos viginti duos articulos, allegas epistolam ipsam condemnatoriam Stephani Secundi? Equidem non potes aliam, vel si potes, iterùm dico, profer in medium. Quod verò attinet ad Epistolam illam condemnatoriam Stephani, testis est mihi conscientia, nec mentionem in ea fieri de S. Thoma, quasi contra eum processisset prædictorum articulorum condemnatio: & ut fidem habeam, ecce ipsam epistolam condemnatoriam Stephani Secundi adductam à te folio 163.

*Universis præsentes litteras inspecturis: Stephanus permissione divina Parisiensis Ecclesiæ Minister indignus,*

*ſalutem in Filio Virginis glorioſæ. Magnarum & gravium perſonarum crebra, & zelo fidei accenſa inſinuavit relatio, quod nonnulli Pariſijs ſtudentes in Artibus, propriæ Facultatis limites tranſcendentes, quoſdam manifeſtos & execrabiles errores imò potius vanitates & inſanias in rotulo ſeu cedulis annexo, ſeu annexis contentos, quaſi dubitabiles in ſcholis tractare, & diſputare præſumunt, non attendentes illud Gregorij:* QUI SAPIENTER LOQUI NITITUR, MAGNOPERE METUAT, NE EIUS ELOQUIO, AUDIENTIUM SANITAS CONFUNDATUR; *præſertim cùm errores prædictos, gentilium ſcripturis muniunt; proh pudor! ad ſuam imperitiam aſſerunt: ſic cogentes, ut neſciant eis reſpondere. Ne autem quod ſic innuunt, aſſerere videantur, reſponſiones ita palliant, quod dum cupiunt vitare ſcyllam, incidunt in charybdim. Dicunt enim ea eſſe vera ſecundum Phyloſophum, ſed non ſecundum fidem Catholicam, quaſi eſſent duæ veritates contrariæ, & quaſi contra veritatem Sacræ Scripturæ, ſit veritas in dictis gentilium damnatorum; de quibus ſcriptum eſt:* PERDAM SAPIENTIAM SAPIENTIUM, QUIA VERA SAPIENTIA PERDET FALSAM SAPIENTIAM. *Utinam tales attenderent dictum Sapientis, ſeu conſilium dicentis: Si tibi eſt intellectus reſponde proximo tuo; ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris. Ne igitur incauta locutio trahat ſimplices in errorem, nos tam Doctorum Sacræ Theologiæ, quàm laiorum communicato conſilio, diſtrictè talia fieri, & conſimilia prohibemus & ea totaliter condemnamus, excommunicantes omnes illos, qui dictos errores dogmatizaverint, vel aliquem de eiſdem, aut defendere, vel ſuſtentare præſumpſerint quomodocumque, & audientes eorum, niſi infra ſeptem dies nobis, vel Cancellario Pariſienſi duxerint revelandum; nihilominùs proceſſuri ad pœnas contra eos pro qualitate culpæ, prout ius dictaverit infligendas. Librum etiam de amore ſive de Deo amoris, qui ſic incipit: Cogit*

*me multum &c. & sic terminatur : Charè igitur Gaudere amoris exerce mandata. Item etiam librum Geometriæ, qui sic incipit : Æstimaverunt inde &c. sic terminatur : Ratiocinare igitur super eam & sic invenies. Item libros & rotulos, quaternos nigromanticos, aut continentes experimenta sortilegiorum, invocationes dæmonum, seu coniurationes in periculum animarum, seu in quibus de talibus & similibus fidei orthodoxæ & bonis operibus adversantibus tractant, per eandem sententiam condemnamus; & omnes qui dictos rotulos, libros, quaternos dogmatizaverint, & audierint, nisi infra septem dies nobis vel Cancellario Parisiensi revelaverint, eo modo, quo superius est expressum. In his scriptis sententiam excommunicationis ferentes, & ad alias pœnas, prout gravitas culpæ exegerit nihilominus processuri. Datum Anno Domini 1277. die Dominicâ quâ cantabatur Lætare Ierusalem in Curia Parisiensi.*

Hæc est Epistola Stephani Parisiensis, quâ ducentos illos 22. articulos sub anathemate condemnavit: hæc est copia *authenticorum instrumentorum, originalium, irrefragabilium testimoniorum* quibus doctrina D. Thomæ quoad ducentos 22. articulos secundum Patrem de Alva fuit anathematizata. Itane verò doctrina D. Thomæ, ubi de S. Thoma, nec in tota ut jam vidimus epistola verbum incidit, imo vero declaratur condemnationem procedere contra nonnullos Parisijs studentes in artibus? Sed illi, inquies, studentium istorum articuli, ex doctrina D. Thomæ usque ad unum desumpti sunt, & sic, si non explicitè & directè, implicitè tamen & ex consequenti S. Thomas & ejus doctrina quoad 222. articulos condemnata sint. Scio quod Pater de Alva, pro verificando dicto suo aliter respondere non possit. Cæterum donec in individuo adduxerit prædictas illas propositiones, vel ostenderit eas in S.

Thoma

Thoma, quód numquam faciet, quamdiu Ecclesia S. Thomam suspiciet ut sanctum, injuriosus est in S. Thomam, imò & Ecclesiam, quæ *Erronem* hujusmodi canonizasset. Et descendendo ad particularia, primus ducentorum 22. condemnatorum articulus, *Quod Deus non sit trinus & unus* ex S. Thoma desumptus sit? & vero ex quo S. Thomæ opere? an ex Summa? an ex Sententijs? an ex opusculis? Revolue universa D. Thomæ opera, & mendax sum, si prædictum articulum in S. Thoma inveneris. Nec minus mendax, si secundum, tertium, & quartum, supra relatos, & sic de reliquis subsequentibus, usque ad ducentesimum vigesimum secundum inclusivè, si sex vel septem dumtaxat excipias, qui licet secundum litteram videantur aliqualiter contineri in S. Thoma, nullatenus tamen fuerunt condemnati in sensu à S. Thoma edocto & intento, ut supra manet demonstratum. Et vero ut pateat manifestus error Patris de Alva, ecce tibi contradictoria, quatuor primarum propositionum à Stephano condemnatarum, ut ex quatuor primis judicium sumas de reliquis. Et contradictorium quidem hujus *Quod Deus non sit Trinus & unus* lege 1. p. q. 39. art. 2. Et contradictorium secundæ, *Quod Deus non potest generare sibi similem*, 1. p q. 27. a. 2. Et tertiæ, *Quod Deus non cognoscit alia à se*, 1. p. q. 14. art. 5. Denique contradictorium quartæ propositionis, *Quod Deus non potest dare perpetuitatem rei transmutabili ut est corpus humanum*, in Supp. q. 82. art. primo. Verum quid immoramur amovendis à S. Thoma calumnijs, quarum falsitas ore patulo seipsam manifestat? illis relictis, quod indigna sit ad ea responsio, accedamus ad Nodum tertium: hoc solum admonito, ne Nodus hic de quo Pater de Alva supradixerat, *Nodus hic magnus videtur & indissolubilis*, jam solutus; majori dedecore ejus famam involuat

 quam,

quam involuisset ipse S. Thomam. Quod ne fiat urgemus te Pater Reverende, quos fol. 133. *Fiscales* vocas, ad revocationem confictæ à te contra S. Thomam falsitatis, posuisti enim maculam in gloria ejus, per imprudens & denigrans verbum tuum, cui detergendo sufficiens non es, nisi errorem tuum revocaveris & in te ipso posueris maculam temeritatis.

## NODUS TERTIUS.

IN hoc Nodo proponitur approbatio Urbani V. in Bulla data ad Archiepiscopum, Universitatem & Scholasticos Tholosanos: in qua Bulla diceretur, *Volumus insuper & tenore præsentium vobis iniungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam, tamquam veridicam & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.* Hanc Bullam dicit Pater de Alva fol. 258. *Tempore Montesoni & aliorum Magistrorum ipsi patrocinantium, post annum 1387. fuisse fictam, intrusam, & suppositam, ut ex ipsa comprobarent in Consistorio Cardinalium Avenione approbationem Doctrinæ S. Thomæ.* Fundamentum hujus dicti Patris de Alva, innotescet ex sequentibus. Cæterum, non indignetur mihi Pater de Alva, si pro destructione sui fundamenti, & pro defensione nostrâ (agitur enim de honore Ordinis nostri) per INTERIM, ut vulgo dicitur, donec authenticam istius Bullæ copiam receperimus Tolosâ, imiter ejus argumentum, quod habet contra Generalem Ordinis nostri Bandellum in hoc suo Nodo indissolubili fol. 375. quod est hujusmodi. *Qui hanc authoritatem* (agitur autem de authoritate Innocentij Papæ de qua Nodo quarto) *seu elogium Sancti Thomæ prius introduxit in litteratura Ecclesiastica fuit Bandellus; sed author iste in suis libris, nullam veritatem observat, neç in toto nec in partes: igitur est*

*tur est falsa*. Quoad Majorem & minorem hujus syllogismi Nodo 4. respondebimus. Quoad nunc, syllogismum hunc solum proposuimus, ut exemplar haberemus, quod sequeremur in modo & figura: pusillum enim & juvenem Philosophiæ Lectorem, præfigere sibi expedit, discurrendi modum Lectoris emeriti in Theologia, quia Jubilati, & imitari eum ne aberret. Ad imitationem igitur formo & ego hunc syllogismum. Qui prædictam approbationem Urbani V. prius dixit esse à nobis fictam, est Pater de Alva: sed author iste in suis libris nullam veritatem observat nec in toto nec in parte: igitur falsum est quod sit à nobis ficta. Major est certa; & ad sui gloriam admittit eam Pater de Alva à folio 267. usque ad fol. 298. Minor nec in uno iota discordat, est enim purum ejus verbum. Unde conclusio vera, supposita veritate, & non solum imitatione Minoris, quæ in hunc modum probatur. Ad hoc ut Bandellus dicatur non observare veritatem in libris suis nec in toto nec in parte, sufficit quod in communi dicatur, demonstrari in Sole veritatis, qui usque nunc Belgio nostro non illuxit, nec à quoquam visus est, ex eo fortassis quod adhuc eclipsim patiatur in Inquisitione Hispanica à qua eum scimus esse prohibitum: quod inquam, in eo dicatur demonstrari, quod omnes authoritates SS. Patrum adulterarit; & quod in particulari in hoc libro dicat ostendi, eum finxisse ex proprio capite totam litteram seu approbationem Universitatis Parisiensis, insuper authoritatem Clementis VI. Papæ: sed simile habemus in Patre de Alva: ergo nec ipse observat veritatem in suis libris, nec in toto nec in parte. Major est ipsissima Patris de Alva, & quidem ferè ad litteram fol. 375. Et minor probatur. Et imprimis dico similiter in communi, demonstrari vel ex ipsis textibus Sanctorum Patrum

(ne ficut ipse, nos allegemus, librum aliquem numquam visum & prohibitum) quod nobis falso imponat eorumdem textuum adulterationem, uti contra authorem Trutinæ Marianæ, ex SS. Patribus quos videre potuimus, ad oculum deprehendimus. In particulari vero, non solum ut ipse, duas sed etiam 10. adduco ejus fictiones & falsitates. Et imprimis in ipso frontispicio libri falsificat textum Sacræ Scripturæ, ut vidimus circa fol. 1. Folio 71. dicit Choquetium primum affinxisse auri D. Thomæ Spiritum Sanctum in columbæ specie, cujus falsitatem irrefragabiliter evicimus circa fol. 71. & hic de Novo addimus figuram D. Thomæ cum Spiritu Sancto ad aurem, contentam in Chronicis effigiatis totius mundi, impressis Anno 1497. & alterum similiter tapetem acu pictum, appensum ad sedilia Chori in Conventu nostro Brugensi, contextum anno 1540. in quo clarissimè S. Thomas modo dicto conspicitur cum Spiritu Sancto supra humeros Fol 76. dicit quod in breviario impresso jussu R. P. Hippolyti Maria Beccaria à monte Regali &c. S. Thomas dicatur de Familia Austriaca, cujus oppositum juramento evici fol. 32. libelli hujus. Fol. 155. dicit esse falsum quod S. Thomas umquam solvat argumentum sed contra, cujus contrarium relictis centum alijs, ostendimus in 10. imo 16. diversis argumentis *Sed contra* à S. Thoma solutis, ut vidimus circa fol. 117. In Nodo suo indissolubili fol. 573. & 595. implicitè, explicitè vero in suo Sole veritatis fol. 808. & 809. (uti refert Trutina Mariana fol. 161.) dicit Bartholomeum Spinam intrusisse in 3. Sententiarum S. Thomæ hæc verba. *Nec in ipso instanti infusionis.* Cujus contrarium authenticis instrumentis ostendemus Nodo septimo. Fol, 238. & 239. temerariè dicit S. Thomam condemnatum

à Ste-

à Stephano Parisiensi in ducentis viginti duobus articulis, cujus falsitatem habes circa folia jam citata. Fol. 553. dicit Opusculum contra errores Græcorum scatere erroribus, cujus redargutionem leges Nodo sexto. Fol 123. & 124. dicit opinionem nostram laceratam & confusam à Concilio Tridentino, ubi Concilium nec verbum habet in contra, uti ostendemus circa folia jam citata. Fol. 542. affirmat nostrum Ordinem contemnere & aspernari, Sacratissimam Mariam Virginem & Sanctam Romanam Ecclesiam, ut convincemus circa idem folium 542. Fol. 547. dicit Historiam de approbatione Christi Crucifixi non inveniri nisi in auctoribus nostri Ordinis, cujus oppositum habes fol. 101. Fol. 557. & 558. falsificat litteram S. Antonini, ut falsificet sensum, ut videre est eisdem folijs. Fol. 635. injustè contra veritatem dicit, nostrum Cardinalem Turrecrematam pro Concilio Basiliensi schismatico, ex Sancto Thoma extraxisse plurima, pro illa propositione, *Concilium est supra Papam*, uti ostendemus dum pervenerimus ad idem folium. Fol. 665. & seq. falsifiat annum citatum ex tractatu R.mi nostri Generalis Turci, erroneè citans annum 1564. loco anni 1574. Si ulterius progredi voluero, per totum erroneum cum ostendero vel non verum, quod ulterius non facio, ne excedam meam ideam, seu pro exemplari assumptum à Patre de Alva syllogismum. Ad hæc, si tamquam discipulus, non adeò bene composuero ad imitationem, spero quod non vapulabo, sed quod ignoscetur indoctæ infirmitati? sin bene, nihil peto pro præmio hujus compositionis ad imitationem, nisi ut Pater de Alva, fateatur se talem qualem dicit Generalem nostrum Bandellum, & admittat se falsum dixisse, dum dixit approbationem illam esse fictam à nobis.

Huc

Huc usque ab extrinseco desumpsimus argumentum ad probandum, Patrem de Alva nobis imponere fictionem Bullæ Urbani V. neque in eo formando malignus fui, cùm illud ipsum, ipse prius fecerit contra Generalem Ordinis nostri, Religiosissimum aliàs, pijssimum & doctissimum Virum. Pergo nunc ulteriùs ad id paulò penitiùs præstandum. Potissima ratio quam adfert P. de Alva, ex qua probet nos finxisse hujusmodi Bullam, est, quod se dicat invenisse quoddam transumptum Tholosæ, in quo habebantur duæ Bullæ, una in fronte, altera in tergo unius parcameni, quarum prima fuerat destinata ad Episcopum, & incipiebat; *Copiosus in misericordia Dominus*: altera ad Cancellarium & Doctores Universitatis, incipiens: *Laudabilis Deus*, quæ habebatur in tergo parcameni; intra quam suprapositа authoritas seu elogium Urbani V. continebatur: Sed hæc ratio non convincit, alteram earum esse confictam: Ergo. Major patet fol. 289. & sequentibus. Et Min. probatur: quia ex eo quod in uno folio chartæ seu pagellâ papyri, habeantur duæ copiæ duarum v. g. litterarum vel obligationum, non sequitur alteram istarum esse fictam, ergo nec ex eo quod in eodem parcameno habeantur duæ copiæ, duarum distinctarum Bullarum, sequitur alteram earum esse fictam. Antecedens probatur in omnibus regestis, in quibus indifferenter & à tergo & in fronte ejusdem folij, diversæ authenticæ copiæ scribuntur diversarum litterarum, obligationum civilium, & similia.

Quod si ad hoc Pater de Alva respondeat, non solùm copias, sed etiam Originales ipsas Bullas, haberi in uno eodemque parcameno, cùm hoc dicatur in ipso transumpto: ad hoc replico, credere me, dici in transumpto illo, quod copiæ illæ concordent

quoad

quoad verba, cum suis Originalibus: quod verò dicatur similiter, utrumque Originale haberi in eodem quoque parcameno, nullatenùs credere. Et prærerquam quod ratio, ut statim dicemus, videatur id convincere; fundo me in viva relatione socij Patris de Alva, R. P. Martini Perez de Guevara, qui mecum agens familiariter, asseveranter mihi fassus est, Bullam Tholosæ à se, nullátenùs verò à Patre de Alva visam, non esse transumptum aliquod: igitur in ea, tanquam in transumpto, non habebatur utrumque Originale Bullarum haberi in eodem parcameno. Ratio verò convincens contrarium est hæc. Cùm enim filij hujus sæculi sint prudentiores filijs lucis, non est credibile, quod qui voluissent fingere integram Bullam, finxissent à tergo alterius Bullæ authenticæ, vel maximè cùm essent Viri subtiles, & summè circumspecti qui eam finxissent (fuissent enim Montesonus & Montesonistæ, omnes videlicet Doctores Theologiæ) in quos non potuit cadere tanta incircumspectio, ut Bullas diversis temporibus datas (prima enim habetur sub data 16. Kal. Julij, secunda sub data 11. Kal. Septemb. ejusdem anni) in eodem parcameno protruderent populo, & quidem copiandas: quantumcumque enim hebes, sine discursu, comprehendisset falsificationem, & eo ipso requisijsset, quomodò idem parcamenum descendit à Pontifice 16 Kal. Julij, & iterùm 11 Kal. Septembris? Ad quod nihil respondere potuissent nisi quòd tanta fuisset apud Pontificem penuria parcameni, quod illi debuerint primam Bullam reddere Pontifici, ut in ejus tergo post duos menses scriberet secundam.

Sed urgere videtur contra nos, id quod dicit Pater de Alva fol. 285, quod nostri Patres Tholosani noluerint sibi ostendere Bullas autenticas. Cæterùm miror primò, quòd à nobis requisierit, Bullas transmissas

missa ad Archiepiscopum, & Universitatem Tholosanam: apud ipsos enim Bullæ authenticæ erant requirendæ. Sed & fuerint requirendæ apud nos, & nostri noluerint eas ostendere, hoc enim nihil urget, non enim conveniebat ut continuò & ubique Inquirenti contra Ordinem nostrum, & quintum Ecclesiæ Doctorem, ostenderemus instrumenta nostra, quibus deinde nos impeteret, vel quæ ex beneficio visa, per ingratitudinem in nos; & S. Thomam retorqueret. Unde etsi Bullas illas nostri noluissent ei ostendere, nihil in eo peccassemus, nisi in hoc fortassis, quod respectu ipsius personæ fuissemus minus humani, quia multum circumspecti.

Altera ratio quam allegat Pater de Alva fol. 293. est quod *Litteræ istæ non reperiuntur in archivo vaticano existente apud S. Petrum in inferiori aula.* Sed nec hæc ratio minimum convincit. Quia juxta Patrem de Alva fol. 287. prima Bulla incipiens: *Copiosus in misericordia Dominus.* quæ videlicet scripta est in fronte partameni, *est vera, certa & subsistens, & ut talis habenda.* Sed nec ipsa habetur in archivo illo vaticano: ergò &c. Minor videtur esse Patris de Alva in ipsa majori, ubi dicit. *Litteræ istæ non reperiuntur in archivo vaticano*: In quibus verbis, indubiè importatur utraque bulla, cum nullibi P. de Alva vel minimam mentionē faciat de prima Bulla tamquam à se visa in illo archivo, licet totum foliatim se dicat revoluisse, ubi tamen nec unum iota, nec unus apex præterfugit ipsius calamum in ijs quæ qualitercumque potest contorquere pro se, contra nos. Alias ejus rationes relinquimus, quia minoris momenti, nec tamen prætermitto verba ejus fol. 299. ubi discurrit in hunc modum: *Modus autem fictionis fuit iste. In charta pellicea, in qua erat scripta Bulla vera Urbani V. à tergo seu in reversa facie, continebatur rescriptum Summi Pontificis ad Archiepiscopum Tholo-*

*Tholosanum, &c. ut habet de more Romana Curia: nam quando Pontifex scribit alicui Communitati complicatâ Bullâ, apponunt Officiales subscriptionem nominum ad quem, vel ad quos talis destinatur Epistola, ut de more fit communiter in epistolis missivis. Et sub hac subscriptione scripserunt Montesoniste Bullam secundam, suo modo sumentes stylum & aliqua verba ex antecedenti, & ex una fabricati sunt duas Bullas distinctas.*

Ex his quæ Pater de Alva adducit pro se; licet apis argumentosa non sim, deduco pro nobis argumentum, quo ostendam nos nullatenus finxisse Bullam prædictam. Modus enim fictionis à Patre de Alva allegatus, moraliter impossibilis est apud Viros prudentes. Ut enim jam vidimus, modus fictionis fuisset iste, quod videlicet sub titulis, scriptis in dorso legitimæ Bullæ scriptæ in fronte parcameni, finxissent Montesonistæ, Bullam alteram: hoc autem non est credibile fecisse Montesonistas: enimverò cum tituli illi, ut supponit & admittit P. de Alva, fuerint scripti in tergo Bullæ antecedenter plicatæ in diversas partes, prædicti tituli debuerunt necessariò inscribi in aliqua minima parte, & fortassis non mediâ, sed magis laterali plicati parcameni, sub quibus, nisi à mente captis, non componeretur & scriberetur de longo ad latum, nova Bulla, & ea quidem tamquam continua prædictis titulis: quod enim nimis monstrosa esset, seipsam argueret falsitatis.

Et verò si Montesonistæ voluissent fingere novam Bullam, non eam utique finxissent in dorso alterius Bullæ authenticæ. faciliùs enim & securiùs finxissent eam in novo & distincto parcameno: cum non plus falsificationis & perfidiæ debuisset intervenire in uno casu, quàm in altero, nisi quod Bulla totaliter etiam quoad parcamenum distincta, non habuisset sigillum Pontificium: quod æquè facili negotio potuissent

E etn-

effingere, ac Pontificiam, quam modo dicuntur falsificasse, subscriptionem.

Id verò quod me contra Patrem de Alva convincit in hac parte, est, quod si nostri, duo illa originalia Bullarum habuissent in eodem parcameno, unum à fronte, subsistens: alterum, à tergo à nobis confictum, non equidem permisissent ea copiari seu transcribi: nec commisissent ea manibus & oculis Secretarij Archiepiscopi, qui in ictu oculi, deprehendisset fraudem. Quod autem permiserint copiari ea seu transcribi, & ea commiserint oculis dicti Secretarij, patet ex ipso transumpto, quod Pater de Alva dicit se invenisse Tholosæ, sigillo Archiepiscopali munitum, & à Secretario Du Tille authorizatum: nisi velimus dicere, quod copiaverit Originalia non visa, & subsignaverit copijs Originalium non visorum. Ne igitur hoc dicatur; maneat Bulla illa Urbani V. *Laudabilis Deus*, non ficta, sed subsistens, non somniata, sed à Pontifice realiter data.

Sed quomodò, inquiet Pater de Alva, realiter data, cùm omnes ferè Scriptores, Ordinis Prædicatorum discordent, vel in ipso referendo Pontifice, per quem data fuisset: fuit enim secundum quosdam Urbanus quidam vagus, nullum enim adducunt in particulari; secundum alios Urbanus IV. tertij volunt, uti etiam sustinet breviarium Prædicatorum, quod fuerit Urbanus V. ultimi quod Urbanus VI. Quidquid de hoc sit, nihi curamus de hujusmodi discordantijs, cum manifestum sit concordasse omnes in illum Urbanum, de cujus mandato anno 1368. vel 1369. corpus S. Thomæ Tholosam translatum est: sive fuerit Urbanus III. sive IV. Quintus vel Sextus. Sed ecce dum sic discurrimus, refricamus Patri de Alva memoriam, ut contra nos urgeat, insignem quamdam, ut loquitur, contradictionem conten-

contentam in antiquo breviario Ordinis nostri, in quo in Officio translationis corporis S. Thomæ lectione 5. dicitur corpus S. Thomæ collocatum in Conventu fundensi Ordinis Prædicatorum, Anno Domini 1377. Pontificatus Urbani V. anno septimo: & lectione 9. ejusdem Officij: quod tota civitas Tholosana fuit commota lætitijs Deum in Sancto Doctore magnificans, Anno Domini 1379. Pontificatus ejusdem Urbani Papæ V. Anno Septimo. Contradictio consistit in hoc quod Annns 1377. & 1379. non potuerint esse annus septimus Urbani Quinti. Et hanc quidem contradictionem ita contra nos magnificat Pater de Alva, f. 293. ut erumpat in hæc verba: *Tene me amore Dei ut ex ore meo me iudices. Anno septimo Urbani, die 13. februarij erat corpus S. Thomæ Fundis, antequam transferretur ad civitatem Tholosanam, & eodem anno septimo Urbani die 28. Ianuarij, id est, ante sexdecim dies, iam erat corpus translatum Tholosæ; Sed aliter ut clarius loquamur: quando corpus D. Thomæ erat in conventu fratrum Prædicatorum funden. Anno 1377. erat septimus Annus Pontificatus Urbani, & anno 1379. erat etiam 7. annus Pontificatus Urbani. Si istæ sint contradictiones, quilibet cæcus iudicare potest.* Sed ad quid tot verba multiplicas vir linguose? numquid & nos a te vicissim possemus inquirere, quomodo Anno, uti refertur plusquam in decem diversis editionibus, quomodo Anno 1226. condemnati fuerunt a Stphano Parisiensi Episcopo, & quidem ut asseris contra S. Thomam, 222. Articuli, cum Anno illo 1226. non esset S. Thomas nisi duorum plus minus annorum, nec esset tunc aliquis Stephanus in Parisiensi Ecclesia? Verum ad hoc memini quod responderis Nodo secundo folio 167, ubi agis de illa condemnatione, errorem illum imputandum impressoribus, qui loco Anni 1277. posuerunt annum

 1226.

1226. similiter & nos respondemus tibi, per errorem typographiæ, annum 1377. & 1379. dictum fuisse annum septimum Vrbani Quinti, quod equè faciliter fieri potuit quam quod positus fuerit annus 1226. loco anni 1277. Hæc in communi de hoc Nodo 3. Particularia verò istius Nodi sunt hæc.

Fol. 272. proponit Reverendissimum nostrum Generalem Turcum, tanquam refractarium Decretis Gregorij decimi quinti, quasi de ipsius mandato anno 1647. impressum fuerit aliquod Ordinis nostri Breviarium, Parisijs apud Claudium le Beau via Iacobeâ sub signo pastoris boni in quo pro festo Cõceptionis haberetur hæc rubrica. *In Conceptione B. Mariæ Virginis totum duplex. Omnia præter lectiones infra scriptas de Officio Nativitatis ipsius assumantur, mutato Nativitatis vocabulo in Sanctificationis:* vbi tamen Gregorius XV. anno 1622. præcipit ut relegaretur vniversaliter ex Missalibus & Breviarijs vox *Sanctificationis*, sub pœna excomunicationis. Equidem non adeo tibi perversus videatur Pater Reverende Turcus noster, quasi de industria, & ex proposito, imo de eius mandato vox *sanctificationis* in illo Parisijs impresso Breviario relicta sit, contra expressum Gregorij Decretum. Ecce enim in Missalibus, de mandato ejusdem Reverendissimi Generalis Thomæ Turci impressis Parisijs anno 1644. apud Gabrielem Clopeiau & Sebastianum Hurè, pro festo Conceptionis habetur hæc rubrica. *In Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ dicatur Missa sicut de eius Nativitate, infra, die 8. septembris mutato nomine Nativitatis in nomen Conceptionis,* Ecce tibi & aliud Breviarium quod hodiernâ die apud nos teritur jussu ejusdem Reverendissimi Patris Thomæ Turci impressum, eodem quo illud à te allegatum anno 1647. Parisijs apud GabrielemClopeiau, & Sebastianum Hurè, in quo pro festo Conceptionis

nis habetur hæc rubrica : *In Conceptione B. Mariæ Virginis, totum duplex. Omnia præter lectiones infra scriptas, de Officio Nativitatis ipsius, mutato nativitatis nomine, in conceptionis.* Si proindè in Breviarijs impressis eodem anno 1647. apud illum Claudium le Beau, quæ non vidi, nec putamus reipsa dari ( non enim est credibile quod eodem anno bis imprimeretur idem Breviarium in eadem præsertim civitate, si inquam habeatur vox *sanctificationis*, reducenda est non ad voluntatem seu mandatum Reverendissimi Patris Thomæ Turci, nisi per calumniam & injustam ejus nominis denigrationem, si enim mandasset, in omnibus suo jussu eodem anno impressis Breviarijs, eadem vox *sanctificationis* haberetur : sed reducenda est ad inconsiderationem eorum qui intendebant ejusdem apud Claudium illum ( si facta fuerit) reimpressioni. Ne igitur proponat Reverendissimum Turcum nostrum tamquam contumacem, & contemptorem Decretorum Pontificalium, sciens quod fortassis ipse numquam pertinget eo observantiæ erga Ecclesiam, qualem erga eam ostendit, & à suis ostendi voluit Reverendissimus Generalis Turcus.

Fol. 278. convicians S. Antoninum, ad verba cujusdam Scriptoris Complutensis dicentis de S. Antonino : *Sanctis Præsulibus non parcens.* Sic obgannit: *Ego existimo quod S. Antoninus tantùm sit unus homo, & adeò statura pusillus, ut ex Antonio ob parvitatem corporis fuerit dictus Antoninus diminutivè. Si ergò fuerit unus sanctus, unus Archiepiscopus* &c. *quomodò reperis plures Sanctos; Archiepiscopos referentes?* Quantumcumque S. Antoninus parvus fuerit quantitate molis, tantus fuit quantitate virtutis, ut si vel mediam ejus partem Pater de Alva participaverit, & ipse quoque magnus futurus sit. Verùm multum adhuc ei deest & de hac parte media, si enim vel tantùm haberet

in se Religionis, non utique Sanctum vilipenderet & conviciaretur, quod statura pusillus fuerit. Et verò usque adeone insuetum quod Episcopi vel Prælati Ecclesiæ, nominentur in plurali numero? & ipsi, seipsos vel scribunt vel nominant in plurali: vix enim Decretum aliquod Episcopale, vel simile quidpiam invenies, ubi non leges, Nos N. Dei & Apostolicæ Sedis gratia &c.

Fol. 312. ad verba hæc Salmanticensium, pro doctrina D. Thomæ citatorum: *Non potest obstare conversioni Infidelium, sed eam adiuvare; tamquam regula & via tuta veritatis, quam ipsi sequantur*, sic ait: *Ego existimo non esse pro Infidelium conversione aut fidelium, iuvamine aliam regulam & viam veritatis quam sequi teneantur, nisi Evangelium Domini nostri Iesu Christi, & Canones Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non doctrinam S. Thomæ.* Usque adeone tibi viluit doctrina D. Thomæ, bone Vir, ut eam asseras non esse pro Infidelium conversione, aut Fidelium juvamine? Non est, (inquis) tamquam regula & via veritatis quam sequi teneantur. Si responsio tua sit ad propositum, in illum modum Salmanticensibus respondere non potes: numquam enim dixerunt illi, doctrinam S. Thomæ esse regulam & viam veritatis, quam fideles sequi debeant, sed quod eos, sicut & Infideles adjuvare ea possit, tamquam regula & via veritatis, quam ipsi sequantur, id est, quam sequi possint sine errandi periculo. Et hoc vel est verum? vel non est verum? Si verum, quid obgannis? Si dicis quod sit falsum, disce veritatem & tuam falsitatem ex Pio V. qui in Constitutione à se editâ Anno Domini 1567. doctrinam S. Thomæ vocat *Certissimam regulam doctrinæ Christianæ*. Et ex Paulo V. qui in quibusdam litteris sub annulo Piscatoris, incipientibus: *Splendidissimi* &c. eamdem doctrinam nuncupat *Clypeum quo*

*militans Ecclesiæ hæreticorum tela feliciter elidit.* Disce denique ex Clemente VI. qui in citato à te sermone fol. 396. pro S. Thoma habito, sic adhortatur: *Hac ergò doctrina charissimi* (loquitur de doctrina D. Thomæ) *non recedat à corde, quia ipsam certè sequens non devias, ipsam cogitans non erras; ipsam tenens non corruis, ipsam loquens non mentiris, ipsam studens ad veritatem pervenis.*

Fol. 360. dicit: *Consilium Apostolicum, & sequela doctrinæ S. Thomæ sunt idem & quasi termini convertibiles.* Non succenseas mihi Pater de Alva, si hoc falsum dicterium tuum, hoc vero dicto diluero: quod videlicet omne verbum quod effluxit è calamo tuo in Nodum tuum indissolubilem, & continua irrisio, calumnia, dicterium &c. idem sint, & reipsa termini convertibiles. Veritatem hujus Lector judicet.

## NODUS QUARTUS.

Continet hic Nodus, Elogium Innocentij VI. quod profundas adeò radices misit in sua possessione, ut Pater de Alva folio 374. fateatur, se id legisse in sexaginta quinque diversis Authoribus. Inter cætera illud refertur in Breviario ultimo reformato Ordinis nostri; in lectione quarta octauæ diei S. Thomæ his verbis: *Huius Doctoris doctrina præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuit inveniatur a veritatis tramite deviasse, & qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.* Porro hoc excellens S. Thomæ Elogium quantumcumque profundas radices miserit, ab imis radicibus extirpare conatur Pater de Alva, tan-

quam totaliter fictum & somniatum. Nescio in quo S. Thomas Patrem de Alva læserit, vel ei fuerit injurius, quod & hoc Innocentij Elogio, eum intendat denudare. Et vero, ne videatur sine fundamento dicere quod sit fictum, duplici id via nititur demonstrare. Et primam quidem viam inchoat & finit hoc discursu folio 375. *Qui hanc authoritatem seu Elogium S. Thomæ, prius introduxit in litteratura Ecclesiastica, fuit Bandellus: sed Author iste in suis libris nullam prorsus veritatem observat in toto nec in parte: igitur est falsa.* Minor ut loquitur eodem fol. 375: *Demonstratur in toto libro solis veritatis ubi omnes authoritates Sanctorum Patrum & aliorum Doctorum ostendit* (ut dicit) *à nostris vitiatas.* Majorem vero probat argumento negativo, ex eo videlicet quod illud elogium non legerit in aliquo Auctore, qui scripserit ante Bandellum: quasi vero, nullus liber subterfugisset examen Patris de Alva, ut bona consequêtia sit, Pater de Alva non invenit hoc vel illud in aliquo qui anterior sit tali vel tali auctore, ergo ipse est primus qui hoc vel illud, aut fecit, aut finxit. Quod attinet ad minorem, debiti nostri foret Generalem antè hac totius Ordinis nostri Bandellum, virum profectò integerrimum, & de ordine nostro supra modum bene meritum defendere à calumnia: verum cum id fieri nequeat nisi adducendo authoritates SS. Patrum, ut ostenderentur non viciatæ & ex altera parte prohibitum sit sub excommunicationis pæna per nuperam Bullam Alexan. VII. *Solicitudo omnium Ecclesiarum quo-quomodo directè vel indirectè, aut sub quovis prætextu* loqui contra Conceptionis mysterium, ne arguamur tamquam refractarij Bullæ Pontificiæ, si authoritates quas Bandellus suo tempore attulit contra Conceptionem, & dicitur finxisse seu vitiasse voluerimus legitimare, & proferre in medium; cedimus tempori, donec

ri, donec Sanctitati suæ placuerit laxare ora nostra, vel calamos, in nostri quondam Capitis defensionem. Speramus interim, quod propter unius & ut in plurimum passionatè & mendaciter loquentis dictum, Bandellus noster non talis audiet, qualis describitur, sed quod plus credetur Ordinis nostri chronicis, de ipso referentibus, quod religiosissimè vixerit, & pijssimè mortuus sit, quam dicterijs Patris de Alva. Hæc breviter de prima via, quâ nititur ostendere elogium Innocentij esse fictum.

Secundam viam inchoat fol. 389. discurrendo per singulos Innocentios. Et folio quidem 390. fatetur quod in rei veritate potuerit esse Innocentius VI. qui dedisset illud elogium, sed quod reipsa non dederit. Hanc ultimam propositionem probat ex eo quod dicat Innocentium VI. nullos composuisse sermones: hoc vero probat ex eo quod prædicti sermones à nullo Nomenclatore recenseantur. Quoad nos, si respondere potuerimus ad ultimam propositionem, respondimus ad omnes quoque præcedentes. Et ad eam in hunc modum respondeo. Primò permittendo transire, quod prædicti sermones non recenseantur ab aliquo Nomenclatore, sed negando hanc consequentiam: ergo nullos sermones composuit. Instatur enim argumento ejus ad hominem. Ipso enimmet teste fol. 392. Clemens VI. scripsit sermones, quos & ipse Pater de Alva invenit: sed quo modo? Verba ejus sunt eodem fol. 392. *Deo ita disponente, post varias inquisitiones, quia nullus Nomenclator, nec sub nomine Petri Rogerij, nec sub nomine Clementis VI. de ipso ullam faciebat mentionem.* Non est igitur efficax argumentum; illi sermones non recensentur ab aliquo nomenclatore, igitur non dantur. Ad eamdem ultimam propositionem secundò & aliter respondeo, eam absolutè negando. Ipso enim Patre de Alva

iterum reste fol. 390. R. P. Ludovicus Jacobus à S. Carolo Ordinis Carmelitarum, in sua Bibliotheca Pontificia scribit Innocentium VI. edidisse sermones: cui non obstat, quod is à Patre de Alva dicatur secutus Nomenclatorem; Nomenclator autem Possevinum, sic enim multiplicantur pro nobis testes, ut in ore duorum vel trium testium stet hoc verbum: *Innocentius scripsit aliquos sermones.* Quod vero ab eodem Patre de Alva Possevinus dicatur fuisse deceptus à Bandello, gratis dicitur, cum Possevinus nullam faciat quoad hoc de Bandello mentionem, & per consequens restat ei probandum. Nec sufficit simpliciter dicere: sed probet illud, priusquam dicat, fol. 390: *Veritas est, quod Innocentius VI. nullos edidit sermones:* omnis enim veritas, nisi si principium indemonstrabile, indiget probatione.

Secundam viam fol. 389. inchoatam, sed à qua fermè decidit in foveam resumit fol. 391. descendendo, ut loquitur ad individuas rationes & demonstrativas facti, quibus probetur prædictam authoritatem Innocentij esse penitus suppositam & falsò intrusam. Et prima quidem ratio ibidem adducta, iterum est, quod Innocentius VI. nullos scripserit sermones. Hæc ratio profectò demonstrativa non est. Demonstratio enim ad minus debet procedere ex certis & evidentibus: quomodo autem certum sit & evidens Innocentium VI. non scripsisse sermones, immediatè ante vidimus. Secunda ejus ratio demonstrativa concluditur in hoc, vel simili ejus, à nobis brevitatis gratiâ compendiato discursu. Si Innocentius VI. dixerit tale elogium de doctrina S. Thomæ, illud dixit in sermone illo, incipiente. *Ecce plusquam Salomon hic:* Sed sermo ille sic incipiens non est sermo Innocentij; ergo tale elogium Innocentius non dixit: igitur est fictum. Major est certa, quia sic

refertur ab omnibus qui meminerunt iſtius elogij. Et minor probatur. Quia ſermo ille ſic incipiens. *Ecce pluſquam Salomon hic*, eſt Clementis VI. nec in illo prædictum elogium habetur. Antecedens probat fol. 293. eo quod in Bibliotheca Illuſtriſſimi Domini Fucquet inter cæteros, invenerit unum ſermonem incipientem his verbis, *Ecce pluſquam Salomon hic*, compoſitum à Clemente VI. Hoc eſt demonſtrativum argumentum Patris de Alva, quo probet prædictum elogium eſſe totaliter fictum: Sed quis non ſtupeat, hujuſmodi ſtupidam demonſtrationem? non enim demonſtrativè ſequitur, imo nec veraciter Clemens VI. habuit in honorem S. Thomæ unum ſermonem cujus Thema erat, *Ecce pluſquam Salomon hic*: ergo Innocentius VI. ejus ſucceſſor non potuit habere alterum ſermonem ſeu Orationem panegyricam ſimiliter incipientem ab hoc Themate *Ecce pluſquam Salomon hic*. Conſequentia contradicit torrenti quotidianæ experientiæ: Videmus enim indies, & legimus diverſos ſermones & Orationes panegyricas ſub eodem themate compoſitas pro eodem Sancto, & hoc quidem à ſapientiſſimis, nominatiſſimis, & eloquentiſſimis Oratoribus; quod vel ex eo contingit, quod juxta commune proloquium magna ingenia ſæpè conſpirent, vel ex eo quod Thema ab uno aſſumptum, arrideat alteri, & ſimiliter aptum ſit, ut ſuper eo deducat præconceptas pro Sancto laudes vel encomia. Non igitur rectè, & minus demonſtrativè ſequitur, Clemens habuit ſub illo themate, pro S. Thoma orationem, ergo Innocentius VI. non habuit: quod ſi non ſequatur, ne dicat imposterum Pater de Alva fol. 403. *Manet igitur ſufficienter comprobata veritas auctoris legitimi, & authoritatis illius ſermonis* ECCE PLUS QUAM SALOMON HIC: *ſcilicet quod auctor non fuit Innocentius, &*

quod

*quod authoritas à primo usque ad ultimum verbum est ficta.* Imo vero cum nondum ostenderit esse fictam maneat sufficienter, ex his quæ nos diximus, comprobata hæc veritas: temerariè à Patre de Alva dici fol. 395. *Dico pro unica firma, ac stabili conclusione, quod approbatio doctrinæ S. Thomæ adducta ab Anonymo* (id est Bandello) *falso sub nomine Innocentij Papæ adducatur.* Dico etenim ego similiter pro unica, firma ac stabili conclusione, quod Pater de Alva temerarius sit & falsus, donec efficacius dictum suum probaverit.

Quod attinet ad sermonem illum Clementis VI. quem ipse habuit sub illo etiam Themate, *Ecce plusquam Salomon hic*, congratulamur nobis, & gratias agimus R. Patri de Alva, quod ipse partem aliquam ejusdem sermonis traxerit in lucem, & non permiserit intra clausuram Bibliothecæ Fuequetanæ absconditum manere, quasi sub modio: in eo enim adeò excellentia pro S. Thoma elogia continentur, ut nesciam, utrum Pontifex aliquis, Clementem VI. in laudando S. Thomam assecutus sit. Utque eorumdem, lectorem participem faciamus, partem istius sermonis quam Pater de Alva extraxit ex sermone in Bibliotheca Fuequetana reperto (utinam verò totum extraxisset, neque enim dubitamus totum sermonem unum solum esse excellentissimum elogium D. Thomæ) à nobis extractam ex Nodo ejus indissolubili fol. 396. de littera in litteram, ad longum proponimus. Sic igitur incipit pars extracta Sermonis seu Orationis.

*Doctor noster S. Thomas Salomoni meritò coæquatur. De Salomone dicitur*, 3. Reg. 9. *quod præcedebat Salomonis sapientia, sapientiam omnium Orientalium & Aegyptiorum: & ipse de se dixit Ecclesiast.* 1. PRÆCESSI SAPIENTIAM OMNIUM, QUI ANTE ME FUERUNT

IN JERVSALEM, &c. *Audacter dico quod iste* PRÆCESSIT SAPIENTIA OMNES QVI FVERVNT ANTE EVM, IMO ET POST EVM, IN UNIVERSITATE ISTA PARISIENSI. *Et certè sicut Salomon eruditus à iuventute, impletus est quasi flumen sapientiâ, sic iste à iuventute; quia adhuc viginti sex annorum, legit Parisijs Sententias, & honorem Doctoratûs trigesimo ætatis suæ anno recepit. Nec mirùm, quia Magister noster qui est Christus, antequam publicè doceret in mundo, voluit spectare. Meritò ergo Salomoni coæquatur. Et ratio potest esse : quia secundum Philosophum* 1. Metaph. *Signum sapientiæ est, posse docere : ideò ex doctrinæ eorum conformitate, possumus sapientiæ æqualitatem concludere in ambobus. Modò videtur, quod istorum doctrina habet quatuor conditiones conformes. Prima est; quod* HABET CERTITVDINEM EXISTENTIÆ ET VERITATIS. *Secunda :* PVLCHRITVDINEM EVIDENTIÆ ET CLARITATIS. *Tertia:* PLENITUDINEM AFFLUENTIÆ ET UTILITATIS. *Quarta :* LATITUDINEM CONTINENTIÆ ET UNIVERSITATIS. *Est enim vera sine contagio falsitatis, clara sine tædio obscuritatis, fructuosa sine vitio curiositatis, copiosa ambitu suo generalitatis &c.* Et parum infra. *Patet quod doctrina istius habet certitudinem existentiæ & veritatis, unde potest dici illud Ioannis* 17. SERMO TUUS VERITAS EST. *Hanc ergo veritatem eme, & noli vendere sapientiam, sicut dicitur proverb.* 23. *scilicet eam studendo, in ea se fundent Doctores, qui eam docent, audiendo, scholam in qua docetur frequentando : Ne sis de numero illorum, quos Apostolus vocat superstitiosos, qui non vacabant ad alia nisi audire, aut dicere aliquid novi: Actorum* 17. *Hæc ergo doctrina charissimi, non recedat ab ore, non recedat à corde, quia ipsam certè sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis, ipsam loquens non mentiris, ipsam studens ad veritatem pervenis. Tenui ergo nec dimittam cant.* 3. *sap.* 8. *Secundo dico, quod*

habet

*habet hæc doctrina pulchritudinem eminentiæ & claritatis: quia; est clara sine tædio obscuritatis, claras enim inter omnes doctrinas, ista est magis clara. Quis enim habuit stylum ita clarum? Vbi & cæteris res est de se summè obscura, ipse eam tradidit ita clarè, quod vix est aliquis ita rudis; quin eam intelligere possit? Et certè non immeritò, quia sua sapientia, non fuit sapientia huius mundi &c.* Et post pauca. *Et benè dixit Sol, quia sicut Sol excedit stellas, quia est maioris splendoris in claritate, maioris ferroris in caliditate, maioris valoris in fecunditate, maioris dulcoris in suavitate, sic omnes Doctores, qui sunt in Vniversitate ista,* &c.

Verum numquid & ad hæc pro S. Thoma promulgata elogia, Pater de Alva habet quod objiciat? Miraculum crederem si non haberet, ubique gloriæ D. Thomæ, profectò non pius, sed invidiosus æmulator. Igitur dum substantiam elogiorum infirmare non potest, fol. 398. vult ea non promulgari sub nomine Clementis VI. sed sub nomine Petri Rogerij, ex eo quod illum sermonem non prædicaverit dum esset Clemens VI. Pontifex maximus, sed dum adhuc esset constitutus in inferioribus, & nullâ aliâ dignitate sublimis, quàm quod esset vel Doctor solùm Parisiensis, vel Abbas Fiscannensis, vel Episcopus Attrebatensis vel Senonensis aut Rothomagensis Archiepiscopus, vel demùm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ titulo Sanctorum Nerij & Achillei, à Benedicto XII. creatus Cardinalis. Cæterùm nescio quo spiritu Pater de Alva contra S. Thomam sic discurrat. Corrigat & ipse Ecclesiam, quod Homilias, v. g. S. Gregorij, omnes vocet Homilias Gregorij Papæ; plures enim, si non omnes, scripsit Gregorius, ante Papatum. Corrigat, inquam, Ecclesiam, vel patienter ferat promulgari S. Thomæ elogia sub Clementis Sexti nomine, quamvis ea dixisset necdum

Clemens

Clemens. Sed quid in hac minoris momenti contradictione, contra, à Clemente pro Sancto Thoma lata elogia, moramur, dum eodem fol. 398. cum summa irreligiositate & irrisione in hunc modum ea glossetur & frustretur? dicit enim de Clemente: *Quod cùm à iuventute sua fuisset enutritus in Vniversitate Parisiensi, non ignorabat doctrinam S. Thomæ, in toto, vel in parte fuisse interdictam usque ad Annum 1324. Adeoque prudentissimè protulit illa verba. Audacter dico quod iste præcessit sapientiâ omnes qui fuerunt ante eum; imò & post eum in Vniversitate ista Parisiensi.* Nescio profectò quod ex illis verbis judicium formem, vel irrisionis tantùm, vel simul blasphemiæ. Utrumque enim peccatum videtur incurrere, qui de Sancto aliquo prudentissimè affirmat proferri, quod sapientiâ præcesserit omnes qui fuerunt ante eum, imò & post eum in aliqua Universitate, ex eo quod sapientia ejus nosceretur in toto vel in parte quondam interdicta seu prohibita in eadem Universitate. Sed his relictis descendamus more nostro ad magis particularia.

Fol. 401. circa finem dicit quod hæc propositio *Doctrina D. Thomæ est clarior, verior &c. doctrinis aliorum Doctorum, sit contra veritatem & scandalosa &c.* Infero ergò Clemens VI. contra veritatem & scandalosè locutus est, dum dixit ut jam vidimus; *Claras inter omnes doctrinas, ista est magis clara.*

Fol. 407. dicit de approbatione Innocentij VI. *Cresceret ampliùs & ampliùs, nisi Deus speciali suâ providentiâ curasset de hoc præservativo remedio, ostendendo veritatem amantibus, originem & principium huius elogij, seu approbationis falsitatem.* De hoc præservativo remedio nondum Deus providit, quia Pater de Alva velit nolit fateri, falsitatem istius elogij nondum ostendit. Ne igitur dicat ulterius fol. 413. nos incautos

cautos in foveam hujus fictionis cecidisse, ex quâ numquam exire poterimus. Dum ceciderimus, si alius non suppetat, manum Patris de Alva requiremus, quæ extrahat nos ex limo profundi: sin ipse ceciderit, vel ex nunc manum nostram porrigimus in ejus adjutorium, fratres enim sumus.

Fol. 412. circa illa verba R.P. Joannis Raynardi ibidem adducta dicentis de S. Thomæ doctrina: *Quam nullus impugnare potest nisi Spiritui Sancto resistat.* Sic habet. *Illud in doctrina Christiana dicitur esse, peccatum contra Spiritum Sanctum, quod in hoc seculo, neque in futuro remittitur.* Supponit proinde, imò dicit; quod resistere Spiritui Sancto sit peccatum contra Spiritum Sanctum. Ad hæc quæro ego antequam procedam ulterius, utrum non sit idem resistere Spiritui Sancto, & se immediatè opponere intentioni Spiritûs Sancti? indubiè idem sunt, undè etiam utrumque ejusdem est malitiæ. Ex quibus vel concessis, vel concedendis, deduco per evidentem consequentiam incidisse Patrem de Alva in excommunicationem latæ sententiæ, si non realiter, saltem ex supposito suorum verborum, formans hunc Syllogismum. Omnis qui dicit tenentes D. Virginem conceptam in peccato originali peccare mortaliter, est excommunicatus, excommunicatione latæ sententiæ: sed Pater de Alva dicit eos peccare mortaliter: ergò. Major est certa ex nupera Bulla Alexandri VII. *Solicitudo omnium Ecclesiarum* &c. Minor probatur. Secundum Patrem de Alva qui resistit Spiritui Sancto peccat mortaliter, atqui dicit eos resistere Spiritui Sancto. Ergò dicit eos peccare mortaliter. Major patet fol. 412. Quia secundum eum, resistere Spiritui Sancto, est peccatum quod neque hic, neque in futuro sæculo remittitur. Et minor probatur. Quia dicit eos, se immediatè opponere intentioni Spiri-

tûs Sancti : atqui immediatè se opponere intentioni Spiritûs Sancti idem est ac Spiritui Sancto resistere: ergò. Minor est certa : Et major probatur. Ex ipsismet verbis Patris de Alva adductis fol. 643. & sunt &c. *Igitur qui post hujusmodi decreti promulgationem* ( loquitur autem de decreto, Concilij Tridentini ) *dicunt & scribunt Virginem Mariam esse comprehensam in illa universali Pauli;* IN QVO OMNES PECCAVERVNT; *quia peccavit in Adam, se opponit immediatè intentioni Concily Tridentini; & per consequens intentioni Spiritûs Sancti.* Expediat se ab hoc Nodo Pater de Alva, & si nimia in scribendo liberalitas cum innodaverit sciat Nodum suum esse indissolubilem, qui solvi non possit nisi ab Alexandro VII. qui sibi solutionem ab hujusmodi excommunicationis Nodo reservavit.

Fol. 414. dicit de Bandello. *Vtinam sicut finxit præsentem hanc Bullam* (id est Innocentij de qua supra) *& litteras Vniversitatis Parisiensis de quibus statim &c. pari modo alia quam plura somniasset pro approbatione doctrinæ S. Thomæ, ut ex ipsius lapidibus sine cemento positis, nostrum cresceret ædificium.* Cogitet lector quam firmum fabricet ædificium, quod optat ut crescat ex lapidibus positis sine cemento. Huic profectò ædificio, assimulatur totus Nodus ejus, qui indissolubilis ab Auctore dicitur, sed sine ullo ligamine invenitur.

Fol. 424. dicit. *Fatemur cum isto scriptore & alijs relatis, esse Censorem* IMPVDENTEM ET IMPRVDENTEM, *quisquis in doctrina S. Thomæ notaverit unquam erroris notam minimam, verucam, aut levissimum nevum.* Ex ore proindè proprio, Pater de Alva vocetur impudens & imprudens, imò verò impudentissimus & imprudentissimus, qui non modo erroris notam minimam, verucam aut levissimum nævum ponit in doctrina D. Thomæ, sed eam dicit scatere errori-

bus. Nullus mihi succenseat, quod sic locutus fuero, sibi ipsi enim hujusmodi vocabula Pater de Alva imposuit.

Fol. 452. dicit quod Bandellus finxerit, *alteram similem authoritatem* (id est Innocentij VI. de quo in hoc Nodo) *in opprobrium & contemptum omnium Sacrorum Doctorum, cuius nulla est clausula quæ specialem non mereatur Sancti Officij censuram.* Priusquam accedamus ad Nodum Quintum, examinemus hoc dictum Patris de Alva. Bandellus finxit aliquam authoritatem, cujus nulla est clausula, quæ specialem non mereatur Sancti Officij censuram. Et quæ est ista authoritas? Illa Innocentij. *Huius Doctoris doctrina, præ cæteris, exceptâ canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum: ita ut numquam qui eam tenuit inveniatur à veritatis tramite deviasse, & qui eam impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus.* Hæc authoritas tres præcipuas habet clausulas, & quælibet earum meretur specialem Sacri Officij censuram. Cæterùm dic obsecro, quia Qualificator cum sis, fori tui est; quam censuram meretur prima illa clausula *Huius Doctoris doctrina præ cæteris, exceptâ canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum?* Quod habeat proprietatem verborum, modum dicendorum, & veritatem sententiarum nullus negaverit nisi malevolus in Sanctum Thomam. Unde tota vis censuræ, oportet ut cadat super illud: *Præ cæteris exceptâ canonicâ.* Et hoc qualem meretur Sancti Officij censuram? an clausula hæc hæretica est? an erronea? an sapiens heresim? an male sonans? temeraria an scandalosa? sed ô nos dictorum à Patre de Alva immemores! Jam enim censuravit eam fol. 401. his verbis censurans eam in simili. *Cum comparatio ista universalis sit, contra veritatem est, & scandalosa.* Igitur clau-

clausula illa *præ cæteris exceptâ canonicâ* scandalosa est. Et cur scandalosa? superius rationem attulerat. Quia, *in opprobrium* est *& contemptum omnium Sacrorum Doctorum.* Non est sic bone vir, falsum assumsisti. Non enim opprobrium quis patitur, vel contemnitur, quod sibi alter vir emeritus præponatur. Præponitur doctrina S. Augustini aliorum Patrum doctrinis, an propterea opprobrium patitur, vel contemnitur Hieronymus, Ambrosius, vel Gregorius? Et hi tres, præponuntur reliquis Ecclesiæ Doctoribus, an propterea vilipenditur Anselmus, Hilarius, vel Chrysostomus? Ea profecto Sanctorum, unius pro altero humilis æmulatio est, ut unus alteri velit postponi. Et Thomas quidem se alijs Doctoribus præferri non sinit, nec alij tamen Doctores invident si præferatur, scientes, quod Discipulorum gloriæ communicent Magistri: quod proindè S. Thomæ gloria, qui fuit omnium Patrum Discipulus, sit omnium gloria, tamquam Magistrorum. Hæc de prima clausula. Secuda clausula est ista. *Ita ut numquam qui eam tenuit inveniatur à veritatis tramite deviasse*, Et hæc quam meretur censuram? audacter dico quod nullam, donec Pater de Alva aliquem protulerit, qui S. Thomam secutus à veritatis tramite invenitur deviasse. Vel si censuram mereatur, majorem merebuntur hæc Clementis VI. de doctrina D. Thomæ verba supra citata: *Hæc ergò doctrina charissimi, non recedat ab ore, non recedat à corde, quia ipsam certè sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis ipsam loquens non mentiris &c.* Tertia & præcipua clausula sic habet *Et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus* Et hæc quomodò qualificabitur? Audi ejus qualificationem à Patre de Alva fol. 386. *Est plusquam temeraria* (inquit) *falsa, & scandalosa, & ut talis damnata.* Sed ego à te Pater de Alva. Ubi clausula illa, & à quo damnata est tamquam teme-

raria, falsa & scandalosa: locum protuleris & judicem. An in inquisitione Hispanica sicut Sol tuus vetatis? An in Italica? An à Pontifice, vel inferiori Judice? Quid heres Tribunal protuleris condemnationis, & Judicem qui eam condemnavit. Si aliò non potes, recurre ad Stephanum secundum, qui secundum te (ut supra vidimus) ex doctrina S. Thomæ 222. Articulos condemnavit: qui fecit majus, potuit & minus. Imò verò Pater de Alva, qui in majori S. Thomam calumniatus est, non solum potuit, sed etiam id fecit in minori.

## NODUS QUINTUS.

IN hoc Nodo affirmat Bandellum finxisse integram epist. tamquam Universitatis Parisiensis, in qua haberentur hæc verba. *Nos cum tota Vniversitate Parisiensi* &c. *inter summos Ecclesiæ Doctores* (D. THOMAM videlicet) *locum habere feliciter, approbamus.* Illam, inquam, integram Epistolam dicit fictam à Generali Ordinis Prædicatorum Bandello: sed nullo alio fundamento hoc probat, nisi *quia talis littera, rescriptum seu approbatio doctrinæ S. Thomæ numquam fuit expedita ab Vniversitate, neque ipsius notitia aut minima memoria reperitur aut extat in archivo prædictæ Vniversitatis Sorbonicæ, nec in aliquo regesto* &c. verba Patris de Alva & ejus unica ratio sunt, ut videre est folio 487. Et quidem quod attinet ad primam partem istius rationis seu causalis, *Quia talis littera* &c. *numquam fuit expedita ab Vniversitate,* cum in ea petatur principium (de eo enim inquiritur utrùm fuerit expedita talis littera) eâdem facilitate quâ proponitur à Patre de Alva, à nobis negatur. Quoad alteram partem, quod istius litteræ nec minima memoria reperiatur in

archivo

archivo Universitatis Parisiensis: tunc eam credemus dum & nos archivum Universitatis examina verimus, non enim oportet credere omni spiritui: Quid verò si reipsa hoc tempore de illa Epistola nulla ibidem extet memoria? dicimus equidem, rationem illam esse planè insufficientem, ad arguendum & dijudicandum celeberrimi Ordinis Generalem, & virum bonæ famæ quæ usque modo in Ordine nostro redolet, tamquam falsarium & impostorem. Hujusmodi profectò judicia in quibus diffamatur integer Ordo non sufficit fundari in aliquo argumento negativo, sed fundari ea oportet in positivo & solido fundamento, in quo nisi fundentur, profectò temeraria sunt & perversa. Plura enim pluribus in locis reipsa expedita sunt, quorum originalia vel injuriâ temporis, vel quorumdam subindè incuriâ perierunt, quæ tamen negare temeritas foret, & perversitas.

Sed ad hæc urget adversarius. Se non solùm negativum, sed & positivum & solidum proferre fundamentum sui dicti, eo quod pateat ad oculum Epistolam sub Vniversitatis nomine editam litteraliter in multis clausulis desumptam ex litteris Stephani III. Parisiensis Episcopi, suprà à nobis relatis. Atque ut fateamur, magna inter utramque litteram tam Stephani quàm Universitatis est symbolizatio. Sed quod Bandellus dicitur fecisse, potuit fecisse etiam Universitas Parisiensis, scilicet excipere aliquot clausulas ex litteris Stephani, & eas redigere aliquibus superadditis in Epistolam. Neque hoc dicitur infundatè: cùm enim Universitas Parisiensis fuisset consulta à Stephano super annullatione condemnationis aliquorum articulorum, pro quanto tangere videbatur doctrinam S. Thomæ, & consilio suo causa fuisset litterarum Stephani suprà visarum, quibus prædictam condemnationem annullarat; natum erat

 fieri,

fieri, ut & ipsa Universitas accensa zelo erga Doctorem suum jam canonizatum, & ipsa componeret litteras pro S. Thoma, & eas quidem aliqualiter conformes litteris Stephani, ut essent quasi declaratoriæ istarum, & in aliquibus difformes, ut ab Episcopi litteris distinguerentur. Quidquid interim factum fuerit (de realitate enim istius Epistolæ non multùm me immisceo, quod novam aliquam laudem doctrinæ D. Thomæ non contineat) asseveranter tamen dico ut iterùm dixi, insufficienter Patrem de Alva fundatum, & proindè temerarium in judicando, quod videlicet noster Bandellus hujusmodi epistolam finxerit: donec solidiora fundamenta protulerit, & non talia quæ ad minus verosimiliter possunt solvi, sicut ea nos modò solvimus. Particularia hujusmodi sunt hæc in hoc Nodo.

Fol 499. Contemptibiliter loquitur de Beato Alberto Magno, dicens: *Si veritas Alberti Magni quoad omnes Doctores Parisienses est sicut ista de S. Bernardo, parùm de ipsa erit curandum.* Fol. verò 527. contemptibilius de S. Thoma, dicens: *Pro S. Thomæ doctrina, corruptela est strictissimum Ius.* Et adhuc contemptibilius fol. 531. his verbis: *Gratia inter Patres Prædicatores non debebat quiescere, quousque perduceret* SVVM ANGELICVM DOCTOREM *atque doctrinam eius super pennas ventorum, ad primum locum, primam sedem, primum dignitatis, & excellentiæ punctum, quo ulterius non posset progredi. Sanè quidem & meritò sic actum est cum S. Thoma & eius doctrina, quia hæc omnia & alia meretur.* Nescio quid mereatur Sanctorum irrisor & contemptor Tantumdem profectò ac contemptor & irrisor ipsius Dei, cùm dixerit Zachariæ 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Utinam hoc perpendisset Pater de Alva antequam scriberet 525. folium Nodi sui, non utique ita obgannivisset vel invidisset

titulis

titulis D. Thomæ, quibus Doctor communis, Magnus & maximus appellatur, nec mordaci dente ibidem illos roderet, sed debitam servaret Sancto religionem & observantiam.

Fol. 542. Dicit hæc verba: *Pro uno* FRATRE *sequuntur vestigia unius Matris Ecclesiæ, & pro* TRES-SAINTE *Vierge; aspernantur & contemnunt tres Matres, & tales Matres: Mariam in cælo, Ecclesiam in terra, & Universitatem Parisiensem.* Pro hujus dicti probà, nisi ipsum revocaveris, cito te Pater Reverende ante quemcumque volueris Judicem. Enimverò Ordo noster (prædicta enim verba tua, non aliquem vel aliquos in particulari, sed nos omnes tangunt in communi, ut patet ex contextu) Ordo Prædicatorum Mariam contemnat & Ecclesiam? si vera locutus es, maledictus dies, quo Prædicatorum Ordinis habitum indutus, & ter maledictus, quo eumdem Ordinem professus sum. Imò verò benedictus, cum in hoc dicto tuo, hoscaris locutus verba falsitatis. In quo enim Mariam contemnimus? An in eo quod præter horas Canonicas, diebus singulis, Marianas horas persolvimus? Quod eam quotidiè sub Completorio in navim Ecclesiæ processionaliter è choro descendentes, solemni cantu per Antiphonam, *Salve Regina*, salutamus? Quod Sabbatinus dies nisi majori aliquo festo impeditus, per totum anni circulum, ejus apud nos cultui quoad Missam, Officium, & vespertinas Litanias consecratus sit? Quod Rosarium ejus, de quo ipsa, S. Patri nostro Dominico revelavit, quod Beata Trinitas, ut omnia peccata deleret, arma non elegerit alia, quàm *Psalterium Angelicum, quod est totius Novi Testamenti fundamentum*, quod, inquam, hoc Rosarium ejus, quod & nos hebdomadatim publicè persolvimus, ubique terrarum juxta Præceptum ejusdem Virginis divulgemus,

prædicemus, instituamus? Quod illud ipsum Rosarium seu ejus lectionem, perpetuam fecimus, ut nec hora sit diebus singulis, quæ vacet à recitatione Rosarij? Quod viginti & ampliùs in ipsius honorem, solemnes supplicationes annuatim agimus? Quod; (sed quid recensemus universa hæc in Matrem nostram exhibita obsequia?) Ignosce Maria, quod illa recensuimus in parte: non ad nostram ea jactantiam, tibi enim debemus & animas nostras, sed ad defensionem nostram protulimus, ut videlicet non censeatur contemptor tui Ordo ille, quem super omnes Ordines (absit invidia verbo veritatis) privilegijs & favoribus cumulasti. Porrò hæc Mariæ in nos collata privilegia, obvia sunt in libro, quem Eximius Pater Hyacinthus Choquetius *Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viscera materna*, intitulavit. Ibi videre est, quomodò Prædicatorum Ordinem Maria conceperit, pepererit & vestiverit sicut Mater, Quomodò eum veste donaverit, nutrierit, & paverit sicut OEconoma: quomodò cum calamitatibus penè oppressum, tutata sit sicut Advocata: quomodò ejusdem Ordinis famam propugnaverit miraculis, tamquàm ipsamet diffamata: & centum his similia. Cæterum quid si Pater de Alva quasi nomine tuo respondeat (O! Maria:) *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi verò spreverunt me*? quod verba illa tua non sint (jam enim constat de contrario) verba contra assumentem illa, & contra eum calamum nostrum convertimus. Ego igitur ad te Pater de Alva: in quo spernimus eam quæ enutrivit & exaltavit nos? in hoc respondebis, quod teneamus eam conceptam in peccato originali: nam aliter respondere, & dicti tui rationem reddere nequaquam potes: quod si non potes, vide quomodò tu in rei veritate contemnas Ecclesiam, reipsa contraveniens Decretis ejus nec excommunicatio-

nicationis ejus, reveritus sententiam. Contemnere enim Mariam Virginem, procul dubio est peccatum mortale: unde dicere nos in hoc contemnere Mariam, quod eam teneamus conceptam in peccato, est dicere quod in eo peccemus mortaliter; hoc autem dicere, est contemnere Ecclesiam & ejus Decreta, cum id vetuerit dici sub excommunicationis latæ sententia. Nec his quieti, quærimus ulterius in quo contemnamus Ecclesiam? si Ordinem habes qui validius Ecclesiam propugnavit, profer eum in medium. Hoc ego de Ordine illo scio, Innocent. X. in præsentia non paucorum Purpuratorum Patrum, & inter alios, Reverendissimi nostri Generalis Turci (audacter dico licet fortassis hactenus incognita, novi enim virum omni acceptione majorem, & ex ipsius ore refero, cui Turcus auricularis testis retulit) Innocentium, inquam, decimum hujusmodi de nostro Ordine dedisse testimonium, his ipsis verbis. NON EST ORDO IN ECCLESIA QUI DEFENDAT SANCTAM SEDEM, SICUT ORDO PRÆDICATORUM. Ne hoc testimonium seminarium sit invidiæ, sufficerit cum eo probare, Ordinem saltem nostrum non esse contemptorem Ecclesiæ. Quod nec unquam Ecclesiæ contemptor fuerit, clamant è sepulchris suis, tot centena Martyrum millia, qui Romanam fidem & Ecclesiam suo sanguine propugnarunt: quorum impossibile esset præ multitudine catalogum texere. Ab anno 1651. usque ad annum 1654. in sola Provincia Hiberniæ recensent acta ultimi Generalis Capituli, sexdecim & amplius gloriosos Martyres: quorum Antesignanus Illustrissimus ac Reverendissimus D. F. Terentius Albertus o Brien Episcopus Imolacensis ab Urbano VIII. creatus, oriundus claro priscorum Hiberniæ regum sanguine, publicè in furcam agi prælegit, quam vel solum ob-

 sessos

fessos ab Henrico Irton Cromuellij Cenero cives Catholicos deserere, quamvis ad illud à prædicto Irton hæreticorum Antesignano, oblatis quadraginta aureorum millibus ac securâ quocumque vellet emigrandi licentiâ, seorsim tentaretur. Porrò si retrocesserimus usque ad prima nostri Ordinis nascentis exordia, ut ex inde recenseamus viros nostros, qui se Ecclesiæ Romanæ hostibus seu hæreticis quasi murum validum opposuerunt (tantum abest quod Ecclesiam contemnerent) deprehendemus vix exortam fuisse hæresim, quam noster Ordo pro magna parte, non suppresserit. Beatissimus Pater noster & gloriosus Patriarcha Dominicus, in Concilio Lateranensi primo, sub Innocentio III. Anno 1218. celebrato, Joachimi Abbatis erroribus, & Almerici insanijs, in publico Patrum concessu se opposuit. Hugo de S. Theodorico ex Archiepiscopo Lugdunensi ad Purpuram assumptus, in Concilio Lugdunensi primo, indicto ad annum 1245. ab Innocentio IV. errores plurimos cujusdam Petri Vineæ Capuani, circa summi Pontificis authoritatem confutavit. Concilio Lugdunensi secundo, celebrato sub Gregorio decimo ad Annum 1274. ad stabiliendam Ecclesiæ Græcæ & Latinæ unionem, astiterunt tres Sanctæ R. E. Cardinales, & triginta ex ordine nostro assumpti Episcopi: inter quas F. Petrus de Tarantasia Cardinalis Doctissimus, & B. Albertus Magnus, in publico Concilio Græcos Doctores de erroribus convictos, ad unionem Latinæ Ecclesiæ adduxerunt. Anno 1311. Viennense Concilium sub Clemente V. celebratum est: in quo inter cæteros nostri Ordinis Theologiæ Magistros, FF. Emericus Placentinus & F. Berengarius, Begardos & Beguinas erroris convicerunt. Anno 1414. Sigismundi Imperatoris diligentia, Concilium Constantiense in-

choavit,

choavit, in quo validissimum Romanæ Ecclesiæ propugnaculum extitit, Illustrissimus Archiepiscopus Ragusæus F. Joannes Dominici, ob vitæ probitatem & doctrinæ eminentiam creatus Cardinalis Sancti Sixti, cujus indefessâ operâ trium Pontificum Ioannis XXIII. Gregorij XII. & Benedicti X. monstrosum scisma sublatum est, & errores Joannis Wicleph condemnati. Qui præterea in Hungariam ad Sigismundum Imperatorem missus legatus, dum laborat extinguendis Hussitarum hæresibus, Budæ multis coruscans miraculis, vitam finivit. In Concilio Basiliensi, legitimè quidem Anno 1431. congregato, licet postea acephalo, adversus Hussitarum errores strenuè insurrexerunt F. Batholomæus Tezerius nostri Ordinis generalis, F. Joannes Nider & F. Joannes de Turrecremata, à quo Bohemorum etiam errores confutati sunt: quorum postremus à Pio secundo UNIVERSALIS DEFENSOR ET PROTECTOR FIDEI nuncupatus est. Anno 1439. sub Eugenio IV. Florentina Synodus contra Græcos potissimum instituta est: atque ad arguendos Doctores Græcos; à sacrosancto Concilio duo præstantissimi Theologi è Prædicatoria familia delecti sunt, F. Batholomæus Lapatius Episcopus Caronensis, & Frater Joannes de Montenigro Provincialis Lombardiæ, à quibus teste Sancto Antonino, qui concilio interfuit, in præsentia Eugenij Pontificis & Græcorum Imperatoris, Episcopus Nicennis, & Episcopus Ephesinus, adversus duos prænominatos, ex Græcis delecti, convicti sunt. Et secundo quidem Episcopus Ephesinus, qui quòd resistere non potuisset Lapatij sapientiæ quæ loquebatur, sed se secundo victum sentiret, tristitiâ & mærore intra paucos dies contabuit. In Synodo Lateranensi secunda, anno 1513. à Julio secundo inchoata, & sub Leone X.

peracta,

peracta, adeo strenuè Pontificis, Concilijque authoritatem non modo disputationibus, crebrisque orationibus, sed etiam editis super hac re libris tutatus est Thomas de Vio Cajetanus, Dominicanæ familiæ ea tempestate supremus Moderator, ut propter strenuè navatam operam ad Cardinalitiam dignitatem, ab eodem Leone evectus sit. In Tridentina Synodo, in defensionem Ecclesiæ plures ex ordine nostro sudarunt Episcopi & Theologi, quam fortassis ex cæteris religiosorum cœtibus simul junctis. Inter quos, Sapientissimus F. Petrus Soto, à Pio IV. ad Concilium missus, in publica Patrum congregatione, Doctores Hæreticos, à Wittenbergensi Duce ad Synodum destinatos, & inter cæteros præcipuum eorum hæresiarcham Brentium, ita gloriosè confutavit, ut omnium Patrum consensu & festivâ acclamatione, Theologorum Princeps judicatus sit. Neque huic cessit Dominicus Soto, quem ijdem ejusdem Concilij Patres, propter præclaros de hæreticis in publicis congressibus relatos triumphos, ardentissimumque fidei propugnandæ studium, illustri hoc stemmate donarunt: flamma egrediente ex duabus manibus complexis cum hac inscriptione. FIDES QUÆ PER DILECTIONEM OPERATUR. Luterum pestilentissimum illum hæresiarcham à Fratre Sylvestro de Prierio Sacri Palaty Magistro, primò omnium scimus confutatum eumque in sua statua simul cum suis libris in Romano foro, igni combustum. Post Sylvestrum in eumdem hæresiarcham primi strinxerunt calamum Conradus Koelin, Cardinalis Cajetanus, & Frater Jacobus Hoestatanus. F. quoque Joannes Tetrelius in Cænobio Francofordiensi hæreticæ pravitatis Inquisitor, nonaginta quinque Lutheri assertiones erroneas &c. circa Indulgentias à Pontifice concessas, in Academia Wittenbergensi promul-

promulgatus ; centum & sex propositionibus contrarijs ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus desumptis, efficaciter confudit. Disce ex eis Pater Reverende, Prædicatorum Ordinem non esse contemptorem Mariæ nec Ecclesiæ: vel si vis ut adhuc plus tibi pateat, disce magis. Meministi ut putem gravissimæ istius tempestatis obortæ inter Pontificem Joannem XXII & Usurpatorem Romani Imperij Ludovicum Bavarum. Si memineris historiæ, nosti quod Prædicatores, non curantes ejectionem suam ex diversis locis Imperij, & omnem Bavari Tyrannidem; steterint pro Pontifice, ubi plures (quos hîc ob varias causas, & ne jam altâ oblivione sepulta resuscitemus cum pusillorum fortassis scandalo, taciti præterimus) defecerunt à Pontifice, & tenuerunt partes Ludovici Bavari schismatici: nunc docentes Imperatorem ex vi electionis, à solo Deo jus & potestatem in imperium accipere, neque à Romano Antistite quidquam aut habere, aut exspectare debere; imò verò jure divino subjectum Pontificem correctioni Imperatoriæ, si in aliquo excederet: nunc perstringentes Pontificem dicterijs, & dicentes eum locupletem, non sectatorem Christi egentis videri. Si memineris historiæ, hæc nosti. Sed & nosti, quomodò nostri tutati sint Ecclesiam contra ipsissimum illum Joannem XXII neglectis omnibus ejus favoribus, & posthabitâ ejus gratiâ, postquam visus fuerat incidisse in errorem illum, quod videlicet quæcumque mortuorum animæ non viderent divinam essentiam, ante reassumptionem corporum. Profectò apud Joannem eramus in amoribus, quod sui nos aliquando contra Bavarum, sensisset strenuos defensores: sed amor ejus nec in minimo obfuit, quin à veritate Catholica devians, nos suos, versis armis, sentiret impugna-

tores. Eum profectò & dictis & scriptis impugnavimus, licet propterea, ab affecto partibus Inquisiore, in carceres deturbati: impugnavimus dico, sed cum tanta Prædicatorij Ordinis gloria, ut inimici nostri pro nobis fierent judices, ut inquam Ludovicus ipse Bavarus, licet acerrimus nostri Ordinis hostis (quem ut refertur mactare intenderat in congregatione Generali indictâ Coloniæ) super Ordine nostro hoc protulerit testimonium. * ORDO FF. PRÆDICATORVM EST ORDO VERITATIS, QVAM INTREPIDE ET LIBERE CONTRA ERRONES QVANTVMVIS POTENTES, ADVERSO PECTORE TVETVR. Loquebatur videlicet ab experientiâ, cum veritatem imperterritè contra se sensisset manutentam à nobis pro Pontifice, & iterùm contra Pontificem, in materia illa fidei.

Hæc huc usque relata, non ad jactantiam, sed ad defensionem nostram dicta sint, ne videlicet Ordo noster, tamquam Mariæ contemptor audiat, & Ecclesiæ. Tu ea appende in statera ex una parte Pater Reverende, & ex alterâ dictum tuum, ut videas quod ad revocationem tenearis, sine quo profecto non subterfugies judicium Dei: in quo dum & tu appensus fueris in staterâ, supplico per viscera Christi, ne inveniaris minus habens, sed confertus meritis & operibus bonis, in salutem animæ tuæ sempiternam.

Fol. 543. dicit. *Minores pervenerunt ad primum punctum in unico instanti, signum evidens quod non erant claudi: aliquis in principio nolebat ire, sed compulsus est intrare,*

* *Antonius Lusit. in Chronic. Predicat.*
*Ferdin. Hist. Pred. cent. p. 2.*
*Michaël Pius de viris Illustrib. Ord. Pred. lib. 2.*
*Langius in Chron. Cytizent.*
*Bzovius in Annalibus ad annum* 1331.

*trare, licet non haberet vestem nuptialem conceptionis, sed sanctificationis à sorde. Sed adeò claudicando incedit per istam viam, ut post quingentos annos, non potuerit transire brevissimam partem temporis, ut à secundo perveniat ad primum punctum.* Circa hæc verba præter scomma, oportet reflectere ly *post quingentos annos.* Erras Pater Reverende, nondum Ordo noster stetit quingentis annis: cum solum confirmatus sit anno 1216, unde ut perveniamus ad annum quingentesimum, restant nobis 53. anni. Sed fortassis quod prævideris spiritû prophetico, quod intra illos accelerabimus cursum, vel vi trahemur ad primum punctum, propter efficacia tua in hoc indissolubili Nodo argumenta sic enim loqueris fol. 37. circa medium. *In tertio hoc libro, sub titulo Nodi indissolubilis; statui ac decrevi piam sententiam de præservatione Virginis Mariæ à peccato Originali, velit nolit, intra familiam etiam Dominicanam introducere.* Quod facis fac citius.

Eodem folio 543. dicit vel de Ordine nostro ironicè vel de suo Ordine falsò & jactanter. *Et notandum quod iste pauper inter omnes pauperes semper est in primo puncto: primum punctum habet in antiquitate, numquam amisit primum punctum in scientia; est in primo puncto gravitatis.* Ego maneo in primo, quod hoc vel ironicè dictum sit vel jactanter.



NO-

# NODUS SEXTUS.

IN hoc Nodo sexto, proponitur approbatio Doctrinæ D. Thomæ à Christo Domino crucifixo dicente: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Sed priusquam illum Nodum decorticeemus, juvat proponere verba Sapientissimi Magistri Ioannis à S. Thoma, de approbatione illa Christi sic loquentis in Volumine primo, super primam partem D. Thomæ, Tractatu de approbatione doctrinæ Divi Thomæ disp. 1. art. 2.

„Mirum est quantum in omnium animis & cordi„bus totius Ecclesiæ, fixa sit hujus historiæ veritas: „nam licet res ipsa in secreto noctis contigerit, nec „nisi ab uno teste, licet Dei servo, qui audiverit, po„tuerit ejus fama divulgari, tamen sic omnium men„tibus insedit, ut Ecclesia tamquam veram traditio„nem jam habeat. Nam imprimis Pius V. Indulgen„tiam concessit Capellæ seu Imagini Crucifixi, à „quo tale responsum Neapoli Doctor Sanctus acce„pit, ut patet in Bulla, *Mirabilis Deus*. Deindè in „ipso Breviario Romano & Ordinis Prædicatorum, „revelatio illa Neapolitani Conventus inserta est. „Tertiò Clemens VIII. in duplici Bulla ad Nea„politanos, eam refert & approbat. In prima enim „sic dicit: *Piè prudenterq; cogitatis de novo civitatis „Patrono adsciscendo Cive vestro, Divinæ voluntatis In„terprete, vitæ sanctitate, & miraculis claro Thoma Aqui„nate, cuius doctrinæ tantùm fuit tributum ut Christianæ „eruditionis suæ, divinum etiam illud habeat testimonium,* „BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. In secunda „dicit quod doctrinæ ejus testes est ingens librorum „numerus, quos Ille SINE VLLO PRORSVS ERRORE

CON-

,,CONSCRIPSIT, & quos deindè conſcriptos expreſ-,,sâ Chriſti Domini voce comprobatos audivit: ubi ,,Pontifex abſolutè hiſtoriam iſtam admittit, nec ,,unum aut alterum librum, unam aut alteram partem ,,doctrinæ, ſed in univerſum, omnes libros, omnem ,,doctrinam comprobatam docet. Quartò Sixtus V. ,, ad publicam conteſtationem, fecit in Bibliotheca ,,Vaticana, in ſecretiori Bibliotheca depingi, D. ,,Thomam, cum S. Hieronymo, ſiniſtrâ manu, Ec-,,cleſiam geſtantem, dexterâ verò quâ ſcripſit, mag-,,num luminis ſplendorem in eam ipſam Eccleſiam ,,immittentem cum hac inſcriptione: SANCTI THO-,,MÆ DE CHRISTO SCRIPTA, A CHRISTO CRVCI-,,FIXO PROBANTVR. Ita refert Angelus Rocca ,,(fuit ille, non Ordinis Prædicatorum, ſed Ordi-,,nis Eremitarum Sancti Auguſtini) in libello de Bi-,,bliotheca Vaticana, & de Operibus Sixti V. pag. ,,136. Denique ita invaluit apud omnes fideles appro-,,batio hæc de D. Thomæ doctrina, facta à Chriſto ,,Domino, ut non niſi ingenti temeritate negari aut ,,in dubium revocari poſſit. Undè jam veritas iſta nõ ,,ſimplici hiſtoriæ nititur, ſed Eccleſiæ traditione, & ,,Sedis Apoſtolicæ acceptatione & publicatione ,,confirmata eſt. Huc uſque Sapientiſſimus ille Magiſter.

His omnibus interim non obſtantibus, Approbationem illam vel negat, vel nullius fidei reddere nititur P. Petrus de Alva in toto hoc Nodo ſexto. Et verò quibus id fundamentis? Fundamenta ejus ad hæc duo referuntur, quod notitia hujus hiſtoriæ ſolùm inceperit ad annum 1387. vel paulò pòſt, ubi tamen contigiſſet, antè annum 1274. Deindè quod ſit quædam diſcordantia inter hiſtoricos, eamdem hiſtoriam referentes. Cæterùm utrùm hæc duo ſufficientia ſint, ad deturbandum, non quemlibet, ſed

Quintum Ecclesiæ Doctorem, à pacifica possessione sui honoris, tu judices qui hæc legis: Ego scio non sine insigni temeritate verti in dubium ea quæ tot vera acceptavit & acceptat Ecclesia: ea in quorum rememorationem concessæ sunt à Pontificibus Indulgentiæ: ea quæ continua traditione à sæculis ad nos pervenerunt. Et verò notitiam hujus historiæ solùm incepisse post annum 1387. vel paulò post, gratis adstruitur. Supposito enim illo quod dicit Pater de Alva folio 555. Sanctum Vincentium Ferrerium primum esse qui hujusmodi historiam notificavit, inquiro: S. Vincentius historiam illam vel ex proprio cerebro finxit, vel ex scriptis, aut etiam aliorum relatione eam extraxit? si primum respondeatur, ergò jam habemus Sanctum aliquem fabulosum & impostorem, quod absque blasphemia nullus admiserit. Si secundum, inquiro ulterius utrum scripta ex quibus S. Vincentius extraxit, vel relatio cui credidit, fuerit alicujus fidei vel non? Si hoc secundum, ergò jam habemus Sanctum levem & temerarium in credendo, juxta illud: *qui citò credit levis est corde*. Si primum, ergò ante S. Vincentium, habemus auctores vel scripta fide digna referentia hujusmodi historiam. Et hic non sistendo, de illis scriptis vel auctoribus ex quibus extraxisset S. Vincentius ulterius inquiro, utrum ipsi primi fuerint qui hujusmodi historiam somniarunt, vel utrum receperunt, ab alijs fide dignis? si hoc secundum: idem inquiram de illis & sic retrogradiendo reducam hanc historiam usque ad ipsum testem vel testes oculares & usque ad tempora D. Thomæ, circa quæ historia dicitur contigisse: donec Pater de Alva in individuo adduxerit ejus falsarium seu potiùs impostorem, & sic reductionem nostram sistat. Si primum, ergò S. Vincentius non extraxit illam historiam ex fide

dignis scriptis vel auctoribus neque enim fide dignus est impostor & mendax. Cui addi potest, Patri de Alua incumbere onus probandi illos ex quibus Sanctus Vincentius immediatè extraxisset illam historiam fuisse impostores, vel saltem eorum antecessores ex quibus ipsi exscripsissent. Quod cum ipse probare non possit, (fatetur enim Fol. 561. ante tempora S. Vincentij se nullum scire qui meminit istius historiæ usque ad ipsum etiam Montesonum, & decem alios Magistros deputatos in causa Montesoni contra Universitatem Parisiensem) maneat secundum hunc discursum, gratis dici, nullam fuisse notitiam hujus historiæ ante annum 1387.

Sed urget contra nos Pater de Alva fol. 561. si hujusmodi historia fuerit nota ante annum 1387. unde Montesonus illam non proposuit cum alijs instrumentis suis, seu approbationibus, qui quidquid potuit pro defensione sua, attulit in commendationem doctrinæ D. Thomæ, dum ageret contra Universitatem Parisiensem? Cæterum ad hoc facilè respondetur: sapienter eum hujusmodi historiam, licet indubiè eam sciverit, non proposuisse Universitati Parisiensi, ne apud non satis bene affectos Divo Thomæ, hujusmodi historia exploderetur tamquam commentum, fabula, & somnium simplicis fratris conversi. Neque enim eam poterat probare juridicè, nec pro tunc infallibilitatem quamdam censebatur habere in publico, qualem jam habet, ex eo quod illi nunc supervenerit tot Pontificum publicatio, tam diuturna, & numquam interrupta traditio, & totius Ecclesiæ sine ulla contradictione acceptatio.

Quod attinet ad secundum fundamentum, quod videlicet sit quædam discordantia inter historicos referentes, patebit imprimis infra non esse discordantiam, sed quod Pater de Alva subdolè eam fingat,

fessos ab Henrico Irton Cromuellij Cenero cives Catholicos deserere, quamvis ad illud à prædicto Irton hæreticorum Antesignano, oblatis quadraginta aureorum millibus ac securâ quocumque vellet emigrandi licentiâ, seorsim tentaretur. Porrò si retrocesserimus usque ad prima nostri Ordinis nascentis exordia, ut ex inde recenseamus viros nostros, qui se Ecclesiæ Romanæ hostibus seu hæreticis quasi murum validum opposuerunt (tantum abest quod Ecclesiam contemnerent) deprehendemus vix exortam fuisse hæresim, quam noster Ordo pro magna parte, non suppresserit. Beatissimus Pater noster & gloriosus Patriarcha Dominicus, in Concilio Lateranensi primo, sub Innocentio III. Anno 1218. celebrato, Joachimi Abbatis erroribus, & Almerici insanijs, in publico Patrum concessu se opposuit. Hugo de S. Theodorico ex Archiepiscopo Lugdunensi ad Purpuram assumptus, in Concilio Lugdunensi primo, indicto ad annum 1245. ab Innocentio IV. errores plurimos cujusdam Petri Vineæ Capuani, circa summi Pontificis authoritatem confutavit. Concilio Lugdunensi secundo, celebrato sub Gregorio decimo ad Annum 1274. ad stabiliendam Ecclesiæ Græcæ & Latinæ unionem, astiterunt tres Sanctæ R. E. Cardinales, & triginta ex ordine nostro assumpti Episcopi: inter quas F. Petrus de Tarantasia Cardinalis Doctissimus, & B. Albertus Magnus, in publico Concilio Græcos Doctores de erroribus convictos, ad unionem Latinæ Ecclesiæ adduxerunt. Anno 1311. Viennense Concilium sub Clemente V. celebratum est: in quo inter cæteros nostri Ordinis Theologiæ Magistros, FF. Emericus Placentinus & F. Berengarius, Begardos & Beguinas erroris convicerunt. Anno 1414. Sigismundi Imperatoris diligentia, Concilium Constantiense inchoavit,

choavit, in quo validissimum Romanæ Ecclesiæ propugnaculum extitit, Illustrissimus Archiepiscopus Ragusæus F. Joannes Dominici, ob vitæ probitatem & doctrinæ eminentiam creatus Cardinalis Sancti Sixti, cujus indefessâ operâ trium Pontificum Ioannis XXIII. Gregorij XII. & Benedicti X. monstrosum scisma sublatum est, & errores Joannis Wicleph condemnati. Qui præterea in Hungariam ad Sigisinundum Imperatorem missus legatus, dum laborat extinguendis Hussitarum hæresibus, Budæ multis coruscans miraculis, vitam finivit. In Concilio Basiliensi, legitimè quidem Anno 1431. congregato, licet postea acephalo, adversus Hussitarum errores strenuè insurrexerunt F. Batholomæus Tezerius nostri Ordinis generalis, F. Joannes Nider & F. Joannes de Turrecremata, à quo Bohemorum etiam errores confutati sunt: quorum postremus à Pio secundo UNIVERSALIS DEFENSOR ET PROTECTOR FIDEI nuncupatus est. Anno 1439. sub Eugenio IV. Florentina Synodus contra Græcos potissimum instituta est: atque ad arguendos Doctores Græcos; à sacrosancto Concilio duo præstantissimi Theologi è Prædicatoria familia delecti sunt, F. Batholomæus Lapatius Episcopus Caronensis, & Frater Joannes de Montenigro Provincialis Lombardiæ, à quibus teste Sancto Antonino, qui concilio interfuit, in præsentia Eugenij Pontificis & Græcorum Imperatoris, Episcopus Nicennis, & Episcopus Ephesinus, adversus duos prænominatos, ex Græcis delecti, convicti sunt. Et secundo quidem Episcopus Ephesinus, qui quòd resistere non potuisset Lapatij sapientiæ quæ loquebatur, sed se secundo victum sentiret, tristitiâ & mærore intra paucos dies contabuit. In Synodo Lateranensi secunda, anno 1513. à Julio secundo inchoata, & sub Leone X.
peracta,

peracta, adeo strenuè Pontificis, Concilijque authoritatem non modo disputationibus, crebrisque orationibus, sed etiam editis super hac re libris tutatus est Thomas de Vio Cajetanus, Dominicanæ familiæ ea tempestate supremus Moderator, ut propter strenuè navatam operam ad Cardinalitiam dignitatem, ab eodem Leone evectus sit. In Tridentina Synodo, in defensionem Ecclesiæ plures ex ordine nostro sudarunt Episcopi & Theologi, quam fortassis ex cæteris religiosorum cœtibus simul junctis. Inter quos, Sapientissimus F. Petrus Soto, à Pio IV. ad Concilium missus, in publica Patrum congregatione, Doctores Hæreticos, à Wittenbergensi Duce ad Synodum destinatos, & inter cæteros præcipuum eorum hæresiarcham Brentium, ita gloriosè confutavit, ut omnium Patrum consensu & festivâ acclamatione, Theologorum Princeps judicatus sit. Neque huic cessit Dominicus Soto, quem ijdem ejusdem Concilij Patres, propter præclaros de hæreticis in publicis congressibus relatos triumphos, ardentissimumque fidei propugnandæ studium, illustri hoc stemmate donarunt: flamma egrediente ex duabus manibus complexis cum hac inscriptione. FIDES QUÆ PER DILECTIONEM OPERATUR. Luterum pestilentissimum illum hæresiarcham à Fratre Sylvestro de Prierio Sacri Palaty Magistro, primò omnium scimus confutatum eumque in sua statua simul cum suis libris in Romano foro, igni combustum. Post Sylvestrum in eumdem hæresiarcham primi strinxerunt calamum Conradus Koelin, Cardinalis Cajetanus, & Frater Jacobus Hoestatanus. F. quoque Joannes Tetrelius in Cænobio Francofordiensi hæreticæ pravitatis Inquisitor, nonaginta quinque Lutheri assertiones erroneas &c. circa Indulgentias à Pontifice concessas, in Academia Wittenbergensi promul-

promulgatus ;, centum & sex propositionibus contrarijs ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus desumptis, efficaciter confudit. Disce ex eis Pater Reverende, Prædicatorum Ordinem non esse contemptorem Mariæ nec Ecclesiæ : vel si vis ut adhuc plus tibi pateat, disce magis. Meministi ut putem gravissimæ istius tempestatis obortæ inter Pontificem Joannem XXII & Usurpatorem Romani Imperij Ludovicum Bavarum. Si memineris historiæ, nosti quod Prædicatores, non curantes ejectionem suam ex diversis locis Imperij, & omnem Bavari Tyrannidem; steterint pro Pontifice, ubi plures (quos hîc ob varias causas, & ne jam altâ oblivione sepulta resuscitemus cum pusillorum fortassis scandalo, taciti prætcrimus) defecerunt à Pontifice, & tenuerunt partes Ludovici Bavari schismatici : nunc docentes Imperatorem ex vi electionis, à solo Deo jus & potestatem in imperium accipere, neque à Romano Antistite quidquam aut habere, aut exspectare debere; imò verò jure divino subjectum Pontificem correctioni Imperatoriæ, si in aliquo excederet : nunc perstringentes Pontificem dicterijs, & dicentes eum locupletem, non sectatorem Christi egentis videri. Si memineris historiæ, hæc nosti. Sed & nosti, quomodò nostri tutati sint Ecclesiam contra ipsissimum illum Joannem XXII neglectis omnibus ejus favoribus, & posthabitâ ejus gratiâ, postquam visus fuerat incidisse in errorem illum, quod videlicet quæcumque mortuorum animæ non viderent divinam essentiam, ante reassumptionem corporum. Profectò apud Joannem eramus in amoribus, quod sui nos aliquando contra Bavarum, sensisset strenuos defensores : sed amor ejus nec in minimo obfuit, quin à veritate Catholica devians, nos suos, versis armis, sentiret impugnatores.

tores. Eum profectò & dictis & scriptis impugnavimus, licet propterea, ab affecto partibus Inquisiore, in carceres deturbati: impugnavimus dico, sed cum tanta Prædicatorij Ordinis gloria, ut inimici nostri pro nobis fierent judices, ut inquam Ludovicus ipse Bavarus, licet acerrimus nostri Ordinis hostis (quem ut refertur mactare intenderat in congregatione Generali indictâ Coloniæ) super Ordine nostro hoc protulerit testimonium. * ORDO FF. PRÆDICATORVM EST ORDO VERITATIS, QVAM INTREPIDE ET LIBERE CONTRA ERRONES QVANTVMVIS POTENTES, ADVERSO PECTORE TVETVR. Loquebatur videlicet ab experientiâ, cum veritatem imperterritè contra se sensisset manutentam à nobis pro Pontifice, & iterùm contra Pontificem, in materia illa fidei.

Hæc huc usque relata, non ad jactantiam, sed ad defensionem nostram dicta sint, ne videlicet Ordo noster, tamquam Mariæ contemptor audiat, & Ecclesiæ. Tu ea appende in statera ex una parte Pater Reverende, & ex alterâ dictum tuum, ut videas quod ad revocationem tenearis, sine quo profecto non subterfugies judicium Dei: in quo dum & tu appensus fueris in staterâ, supplico per viscera Christi, ne inveniaris minus habens, sed confertus meritis & operibus bonis, in salutem animæ tuæ sempiternam.

Fol. 543. dicit. *Minores pervenerunt ad primum punctum in unico instanti, signum evidens quod non erant claudi, aliquis in principio nolebat ire, sed compulsus est intrare,*

* *Antonius Lusit. in Chronic. Predicat.*
*Ferdin. Hist. Pred. cent. p. 2.*
*Michaël Pius de viris Illustrib. Ord. Pred. lib. 2.*
*Langius in Chron. Cytizent.*
*Bzovius in Annalibus ad annum* 1331.

*trare, licet non haberet vestem nuptialem conceptionis, sed sanctificationis à sorde. Sed adeò claudicando incedit per istam viam, ut post quingentos annos, non potuerit transire brevissimam partem temporis, ut à secundo perveniat ad primum punctum.* Circa hæc verba præter scomma, oportet reflectere ly *post quingentos annos.* Erras Pater Reverende, nondum Ordo noster stetit quingentis annis: cum solum confirmatus sit anno 1216. unde ut perveniamus ad annum quingentesimum, restant nobis 53. anni. Sed fortassis quod prævideris spiritu prophetico, quod intra illos accelerabimus cursum, vel vi trahemur ad primum punctum, propter efficacia tua in hoc indissolubili Nodo argumenta sic enim loqueris fol. 37. circa medium. *In tertio hoc libro, sub titulo Nodi indissolubilis, statui ac decrevi piam sententiam de præservatione Virginis Mariæ à peccato Originali, velit nolit, intra familiam etiam Dominicanam introducere.* Quod facis fac citius.

Eodem folio 543. dicit vel de Ordine nostro ironicè vel de suo Ordine falsò & jactanter. *Et notandum quod iste pauper inter omnes pauperes semper est in primo puncto: primum punctum habet in antiquitate, numquam amisit primum punctum in scientia; est in primo puncto gravitatis.* Ego maneo in primo, quod hoc vel ironicè dictum sit vel jactanter.



NO-

# NODUS SEXTUS.

IN hoc Nodo sexto, proponitur approbatio Doctrinæ D. Thomæ à Christo Domino crucifixo dicente: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Sed priusquam illum Nodum decorticemus, juvat proponere verba Sapientissimi Magistri Ioannis à S. Thoma, de approbatione illa Christi sic loquentis in Volumine primo, super primam partem D. Thomæ, Tractatu de approbatione doctrinæ Divi Thomæ disp. 1. art. 2.

„ Mirum est quantum in omnium animis & cordi-
„ bus totius Ecclesiæ, fixa sit hujus historiæ veritas:
„nam licet res ipsa in secreto noctis contigerit, nec
„nisi ab uno teste, licet Dei servo, qui audiverit, po-
„tuerit ejus fama divulgari, tamen sic omnium men-
„ tibus insedit, ut Ecclesia tamquam veram traditio-
„ nem jam habeat. Nam imprimis Pius V. Indulgen-
„tiam concessit Capellæ seu Imagini Crucifixi, à
„quo tale responsum Neapoli Doctor Sanctus acce-
„pit, ut patet in Bulla, *Mirabilis Deus*. Deindè in
„ipso Breviario Romano & Ordinis Prædicatorum,
„ revelatio illa Neapolitani Conventus inserta est.
„Tertiò Clemens VIII. in duplici Bulla ad Nea-
„politanos, eam refert & approbat. In prima enim
„sic dicit: *Piè prudenterq; cogitatis de novo civitatis*
„ *Patrono adsciscendo Cive vestro, Divinæ voluntatis In-*
„*terprete, vitæ sanctitate, & miraculis claro Thoma Aqui-*
„*nate, cuius doctrinæ tantùm fuit tributum ut Christianæ*
„*eruditionis suæ, divinum etiam illud habeat testimonium,*
„ BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. In secunda
„dicit quod doctrinæ ejus testes est ingens librorum
„ numerus, quos Ille SINE VLLO PRORSUS ERRORE

„CONSCRIPSIT, & quos deindè conſcriptos expreſ-
„sâ Christi Domini voce comprobatos audivit: ubi
„Pontifex abſolutè historiam iſtam admittit, nec
„unum aut alterum librum, unam aut alteram partem
„doctrinæ, ſed in univerſum, omnes libros, omnem
„doctrinam comprobatam docet. Quartò Sixtus V.
„ad publicam conteſtationem, fecit in Bibliotheca
„Vaticana, in ſecretiori Bibliotheca depingi, D.
„Thomam, cum S. Hieronymo, ſiniſtrâ manu, Ec-
„cleſiam geſtantem, dexterâ verò quâ ſcripſit, mag-
„num luminis ſplendorem in eam ipſam Eccleſiam
„immittentem cum hac inſcriptione: SANCTI THO-
„MÆ DE CHRISTO SCRIPTA, A CHRISTO CRVCI-
„FIXO PROBANTVR. Ita refert Angelus Rocca
„(fuit ille, non Ordinis Prædicatorum, ſed Ordi-
„nis Eremitarum Sancti Auguſtini) in libello de Bi-
„bliotheca Vaticana, & de Operibus Sixti V. pag.
„136. Denique ita invaluit apud omnes fideles appro-
„batio hæc de D. Thomæ doctrina, facta à Christo
„Domino, ut non niſi ingenti temeritate negari aut
„in dubium revocari poſſit. Undè jam veritas iſta nõ
„ſimplici hiſtoriæ nititur, ſed Eccleſiæ traditione, &
„Sedis Apoſtolicæ acceptatione & publicatione
„confirmata eſt. Huc uſque Sapientiſſimus ille Ma-
giſter.

His omnibus interim non obſtantibus, Approba-
tionem illam vel negat, vel nullius fidei reddere ni-
titur P. Petrus de Alva in toto hoc Nodo ſexto. Et
verò quibus id fundamentis? Fundamenta ejus ad
hæc duo referuntur, quod notitia hujus hiſtoriæ ſo-
lùm inceperit ad annum 1387. vel paulò pòſt, ubi
tamen contigiſſet, antè annum 1274. Deindè quod
ſit quædam diſcordantia inter hiſtoricos, eamdem
hiſtoriam referentes. Cæterùm utrùm hæc duo ſuffi-
cientia ſint, ad deturbandum, non quemlibet, ſed

Quintum Ecclesiæ Doctorem à pacifica possessione sui honoris, tu judices qui hæc legis: Ego scio non sine insigni temeritate verti in dubium ea quæ ut vera acceptavit & acceptat Ecclesia: ea in quorum rememorationem concessæ sunt à Pontificibus Indulgentiæ: ea quæ continua traditione à sæculis ad nos pervenerunt. Et verò notitiam hujus historiæ solùm incepisse post annum 1387. vel paulò pòst, gratis adstruitur. Supposito enim illo quod dicit Pater de Alva folio 555. Sanctum Vincentium Ferrerium primum esse qui hujusmodi historiam notificavit, inquiro. S. Vincentius historiam illam vel ex proprio cerebro finxit, vel ex scriptis, aut etiam aliorum relatione eam extraxit? si primum respondeatur, ergò jam habemus Sanctum aliquem fabulosum, & impostorem, quod absque blasphemia nullus admiserit. Si secundum, inquiro ulterius utrum scripta ex quibus S. Vincentius extraxit, vel relatio cui credidit, fuerit alicujus fidei vel non? Si hoc secundum, ergò jam habemus Sanctum levem & temerarium in credendo, juxta illud: *qui citò credit levis est corde*. Si primum ergò ante S. Vincentium habemus auctores vel scripta fide digna referentia hujusmodi historiam. Et hic non sistendo, de illis scriptis vel auctoribus ex quibus extraxisset S. Vincentius ulterius inquiro, utrum ipsi primi fuerint qui hujusmodi historiam somniarunt, vel utrum receperunt, ab alijs fide dignis? si hoc secundum: idem inquiram de illis & sic retrogradiendo reducam hanc historiam usque ad ipsum testem vel testes oculares & usque ad tempora D. Thomæ, circa quæ historia dicitur contigisse: donec Pater de Alva in individuo adduxerit ejus falsarium seu potiùs impostorem, & sic reductionem nostram sistat. Si primum, ergò S. Vincentius non extraxit illam historiam ex fide

dignis scriptis vel auctoribus neque enim fide dignus est impostor & mendax. Cui addi potest, Patri de Alua incumbere onus probandi illos ex quibus Sanctus Vincentius immediatè extraxisset illam historiam fuisse impostores, vel saltem eorum antecessores ex quibus ipsi exscripsissent. Quod cum ipse probare non possit, (fatetur enim Fol. 561. ante tempora S. Vincentij se nullum scire qui meminit istius historiæ usque ad ipsum etiam Montesonum, & decem alios Magistros deputatos in causa Montesoni contra Universitatem Parisiensem) maneat secundum hunc discursum, gratis dici, nullam fuisse notitiam hujus historiæ ante annum 1387.

Sed urget contra nos Pater de Alva fol. 561. si hujusmodi historia fuerit nota ante annum 1387. unde Montesonus illam non proposuit cum alijs instrumentis suis, seu approbationibus, qui quidquid potuit pro defensione sua, attulit in commendationem doctrinæ D. Thomæ, dum ageret contra Universitatem Parisiensem? Cæterum ad hoc facilè respondetur: sapienter eum hujusmodi historiam, licet indubiè eam sciverit, non proposuisse Universitati Parisiensi, ne apud non satis benè affectos Divo Thomæ, hujusmodi historia exploderetur tamquam commentum, fabula, & somnium simplicis fratris conversi. Neque enim eam poterat probare juridicè, nec pro tunc infallibilitatem quamdam censebatur habere in publico, qualem jam habet, ex eo quod illi nunc supervenerit tot Pontificum publicatio, tam diuturna, & numquam interrupta traditio, & totius Ecclesiæ sine ulla contradictione acceptatio.

Quod attinet ad secundum fundamentum, quod videlicet sit quædam discordantia inter historicos referentes, patebit imprimis infrà non esse discordantiam, sed quod Pater de Alva subdolè eam fin-

gat, inter S. Vincentium, & Sanctum Antoninum, primos istius historiæ, ut vult relatores. Cæterùm etsi sic foret quod in circumstantijs aliquibus discordarent, an propterea liceret dubitare de substantia seu veritate historiæ? Si hoc liceat, quæcumque jam recepta ut indubitata, traham in dubium, etiam omnes historias Ordinis Minorum: cum vix aliquid sit relatum universaliter in historijs, quod non diversimodè à diversis historicis referatur. Et ne verba multiplicemus, dicit R. Adm. Pater F. Lucas Wadingus Ordinis Minorum Religiosus & Annalista, Pontium Carbonellum, de quo supra, fuisse Magistrum Sancti Ludovici, non Regis, sed Episcopi Tholosani: negant alij ejusdem Ordinis, quos refert & sequitur R. P. Martinus Perez de Guevara in supra citato suo *Iudicio Salomonis*: & dicunt fuisse Magistrum Sancti Ludovici Francorum Regis. An propterea liceret dicere, Carbonellum, nec unius, nec alterius Ludovici fuisse magistrum? si hoc dicerem, scio quod tamquam temerarius, statim haberem aliquid de fune Minoriticæ contradictionis. Et in exemplo morali: Possideo agrum & dicit unus quod ille mihi proveniat ex parte ascendentium Patris, alij ex parte ascendentium Matris, & in hoc quoque variant domestici mei & intranei, an propterea in dubium vertenda est possessionis justitia? Non equidem, nisi volueris plerosque bonæ fidei possessores replere scrupulis & anxietatibus. Sic nec in dubium vocet aliquis historiam illam seu approbationem illam doctrinæ D. Thomæ per Christum, etsi fortassis etiam quidam domestici nostri & intranei, in aliquibus circumstantijs videantur discordare. Hæc more nostro de hoc Nodo in communi. In particulari circa illum observanda sunt sequentia.

Fol. 547. postquam retulit verba Pij V. concedentis

dentis indulgentias visitantibus Sacellum vel altare, in quo Doctoris Angelici doctrina, Salvatoris Crucifixi ore ( sicut pia testatur historia ) mirabiliter probata fuit: superaddit de suo. *Si quærimus istam piam Historiam, non invenitur nisi in auctoribus Ordinis Prædicatorum.* Contrarium hujus patet in Bibliotheca Rubeæ vallis Canonicorum Regularium in Sylva Zoniæ juxta Bruxellam, in qua habentur hæc verba sequentia in manuscripto à Domino Joanne Gielemans Sacerdote professo ejusdem Monasterij, qui obijt Anno 1487. Simile sed magis stupendum vidit in Conventu Neapolitano F. Dominicus de Caserta conversus, vir senex, vitæ Sanctæ ac conscientiæ timoratæ. Cum enim esset Sacrista prædicti conventus, advertens quod prædictus Doctor ante matutinas Studij sui, secretò descenderent in Ecclesiam ut oraret, semel observans eum curiosius vidit in Capella S. Nicolai ipsum in oratione positum quasi duobus à terra cubitis in aëre elevatum: super quo frater ille admirans subito audivit de loco ad quem conversus Doctor Sanctus orabat cum lachrymis, hujusmodi vocem prodire de imagine crucifixi, THOMA BENE SCRIPSISTI DE ME QVAM ERGO RECIPIES PRO TVO LABORE MERCEDEM &c. Hæc eadem historia recitatur in Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Martini Lovanij, itidem in manuscripto. Et ipso Patre de Alva met teste fol. 562. in Monasterio Vallis Canonicorum etiam Regularium. Quâ proindè invereeundia dicit si quærimus istam piam historiam non invenitur nisi in auctoribus Ordinis Prædicatorum? Anne Canonici Regulares Prædicatores sunt? Equidem Prædicatorij Ordinis institutor Sanctissimus Patriarcha Dominicus, Canonicus Regularis fuit: sed de ipso legimus, *tandem virum Ca-*

 *nonicum*

*nonicum mutat in Apostolicum.* Quod si vel minimam ulteriorem diligentiam facere Pater de Alva voluerit in quærendo (nos enim tæderet in re certa, & luce meridiana clariore, inquisitionis ulterioris faculam accendere) inveniet eam non tantùm in tribus diversis, & non nostri Ordinis Scriptoribus, sed etiam in centenis & centenis extraneis. Pro nobis sufficit nos produxisse tres, ut falsificetur universalis illa negativa; *Non invenitur ista pia historia, nisi in auctoribus Ordinis Prædicatorum.* Cui non oberit, si prædicti dicantur transcripsisse ex Scriptoribus Ordinis nostri, hoc enim non verificat prædictam universalem, sed relinquit ipsam falsam, nec derogat veritati ipsius historiæ, cum omnia quoque mirabilia quæ contigerunt intra Ordinem FF. Minorum & quæ modò referuntur in historijs, exscripta sciantur à primis quibusdam de eodem Ordine Scriptoribus, quæ tamen in dubium trahere crimen foret & temeritas.

Fol. 552. apertè dicit. *Hæc approbatio solum fuit introducta ut cum ea macularent Dei Matris conceptionem.* Verbis illis adjunge verba ejus quæ habet fol. 555. & sunt hæc: *Videamus denique quomodò hanc referat revelationem primus qui eam traxit in publicum scilicet S. Vincentius Ferrerius*, & ex ijs formes hoc argumentum: Secundum Patrem de Alva illa approbatio solùm fuit introducta ut cum ea macularetur Dei Matris conceptio, atqui secundum eumdem, primus qui eam introduxit, fuit Sanctus Vincentius Ferrerius: ergò ipse eam introduxit ut macularetur cum ea conceptio. Sperem quod non concedet consequentiam, ne dicat blasphemiam: tenetur tamen eam concedere nisi mutaverit alteram præmissarum.

Fol 548. refert ex P. Galuan Ordinis Prædicatorum,

torum, Lectiones secundi nocturni in quibuscumque breviarijs non esse in omnibus & singulis infallibiles, sed tantum esse pia, & humanâ fide credibilia & moraliter certa. Eo fine prædicta verba adducit, ut detrahat certitudini approbationis Christi, quæ inserta est in Lectionibus secundi Nocturni, in Officio de S. Thoma tam in Breviario particulari Ordinis nostri, quam Romano. Et vero quæcumque de S. Thoma in lectionibus illis dicta, numquam aliter aut tenuimus aut proposuimus tenenda, quam ut pia, ut humanâ fide credibilia, moraliter certa, & quæ negari non possent sine temeritate: (numquam tamen ut articulos fidei, ut calumniatur Pater de Alva) & pro talibus hodiernâ adhuc die, ea proponimus, cum illa protestatione, quod si nihil certitudinis habeatur ex illis Lectionibus de S. Thoma, nihil ego vicissim credam ex omnibus Historijs insertis in secundo Nocturno officiorum Sanctorum Ordinis Minorum: cum utrobique eadem credibilitatis sit ratio.

Fol. 552. dicit Pater de Alva quod. *Licet Opuscula Angelici Doctoris habeant aliquos errores magni momenti, hoc contra errores Græcorum scatet gravißimis: Quomodo autem istud approbaverit Christus Dominus, cum non sit errorum approbator Deus, non habebit adeò expeditam solutionem.* Antequàm hujus dicti rationem exigamus à Patre de Alva, notari oportet circa opusculum contra errores Græcorum, quod priusquam S. Thomas illud componeret, transmissum ad se ab Urbano IV. tractatum aliquem plurium authoritatum Græcorum Patrum, in Latinum translatarum, ut illum S. Thomas examinaret in communem Ecclesiæ utilitatem. Patet hoc ex ipsa S. Thomæ Epistola ad Urbanum, ipsi Opusculo contra errores Græcorũ præfixâ, quæ incipit in hunc modum: *Libellum ab*

 *Excel-*

*Excellentia vestra mihi exhibitum Sanctissime Pater Vrbane Papa, diligenter perlegi, in quo inveni quam plurima ad nostræ fidei assertionem utilia & expressa.* Verum cum translator non rectè adeò in Latinum authoritates istorum Patrum transtulisset, nec ad sensum Catholicum, visum est S. Thomæ easdem authoritates non benè traslatas, Catholicè exponere, quod & fecit, ut videre est ex ejusdem etiam S. Doctoris verbis immediatè post supra posita sequentibus, inquit enim. *Consideravi autem, quod eius fructus posset apud plurimos impediri, propter quædam in authoritatibus Sanctorum Patrum contenta, quæ dubia esse videntur, & unde possent materiam ministrare errorum, & contentionis dare occasionem & calumniæ. Et ideo ut remota omni ambiguitate, ex authoritatibus in prædicto libello contentis vitæ fidei fructus purissimus capiatur, propofui primo ea quæ dubia esse videntur in auhoritatibus prædictis exponere, & postmodum ostendere quomodum ex eis veritas Catholicæ fidei & doceatur & defendatur.* Hujusmodi autem prædictarum authoritatum Catholica expositio, est ipsum Opusculum contra errores Græcorum, remissum à S. Thoma ad Urbanum IV. His prænotatis ne arguamur tamqum in S. Thomam injurij, ex eo quod Doctori veritatis, opusculum adscribamus gravissimis (ut Pater de Alva dicit) scatens erroribus: exigo à te Pater Reverende rationem istius dicti tui: *Licet opuscula Angelici Doctoris habeant aliquos errores magni momenti, hoc contra errores Græcorum scatet gravissimis.* Calumniator es, nisi in individuo errores illos magni momenti ex alijs opusculis, & gravissimos illos ex opusculo contra errores Græcorum protuleris in medium. Et ne tempus teras inquirendis gravissimis illis erroribus, potissimum ex opusculo, contra errores Græcorum: scias illud Opusculum ad meam supplicationem studiosè perlectum à duobus Sacræ Theo-

Theologiæ Doctoribus, & in Alma Universitate Lovaniensi Publicis Professoribus, qui quod in eò nihil contineretur ex Doctrina D. Thomæ, non solidum, non verum non Catholicum, non S. Thoma dignum ut mihi protestati sunt, parati forent illud ipsum Opusculum contra temeritatem Patris de Alva censurare, nisi hoc unicum obstaret, quod se tantos non præsumant, qui Angelici Doctoris Doctrinam suæ censuræ auderent subijcere, & ad tribunal suum licet ultrò delatam censurare. In tanta Reverentia habetur Lovanij Thomas noster Si hoc prædictorum eximiorum virorum testimonium, cujus Deus testis est, non verearis, repeto supra posita verba mea, Calumniator es, nisi individuo prædictos errores gravissimos protuleris in medium.

Sed indignaris fortassis urgeri te, ad rem præstandam jam à te præstitam Nodo undecimo libri tui fol. 684. ubi habes hæc verba. *Opusculum illud contra errores Grecorum, quod quidem dogmaticum est pertinens ad fidei integritatem, ita deviat à veritate in authoritatibus ibi adductis, quod in genera'i omnes sint vitiatæ, & in particulari aliquæ totaliter suppositæ, quia non reperiuntur in locis citatis, & ut plurimum discrepant in essentialibus, & præcipuè à proprijs originalibus.* Hæc sunt verba tua, in quibus te putas proponere gravissimos errores illos istius opusculi S. Thomæ contra errores Græcorum, ut videlicet, in hoc stent errores, quod in illo opusculo omnes authoritates SS. Patrum Græcorum, sint vitiatæ. Cæterum miror ego, istius dicti tui inverecundiam, quod videlicet in eo perstringas S. Thomam tamquam reprehensibilem, in quo S. Thomas translatorem authoritatum contentarum in prædicto Opusculo, etiam ipse reprehendit. Enim vero discas quod S. Thomas authoritates illas ex Græcis Patribus non transtulerit, sed quod ab alio vel alijs ex

Græco translatas, (omnes enim istius Opusculi originales authoritates, sunt Græcorum Patrum) & ad se missas ab Urbano IV. ut eas examinaret ut loquitur in præfata sua ad Urbanum Epistola, exposuerit & explicaverit ut ex ijs Catholicè explicatis, Catholicæ fidei veritas ostenderetur. Numquid audis S. Thomam reprehendentem Translatorem prædictarum authoritatum in epilogo ejusdem opusculi? Si non audis lege ipsum epilogum D. Thomæ ad Urbanum (ut tibi ad manum foret) hic infra impressum, & in hunc modum incipientem.

„Hæc sunt Pater Sanctissime, quæ ex authoritatibus Doctorum Græcorum, secundum vestram jussionem excepi, & exponenda, & ad confirmationem veræ fidei, inducenda. Inveniuntur tamen inter prædictas authoritates, quædam indecentes expositiones interpositæ, sicut quando LOGOS exponit translator ferè ubique sermonem mentalem, cùm secundum usum scripturæ latinæ, convenientius exponeret VERBUM. Et HYPOSTASIM exponit essentialem Personam: quam expositionem sequens aliquando cogitur inconveniens dicere, sicut ubi dicit Deus trinipostases, id est trinus essentialiter personalis; hoc enim est omnino erroneum quod Deus sit essentialiter trinus. Sufficeret autem pro hypostasi transferre simpliciter Personam, sic enim utimur nomine personæ in confessione fidei, sicut Græci nomine hypostasis, ut dicit Augustinus: licet non sit omnino eadem ratio significandi per nomen. Inducit etiam ad laudem SS. Patrum aliqua quæ modum puri hominis excedunt, aliquos nominans Patres Fidei, quod solius Christi est à quo secundum Apostolum ad Hebreos secundo, principium accipit fides enarrandi. Cæteri verò possunt dici Doctores vel expositores Fidei, non autem Pa-

„tres.

,,tres. Inducit etiam in principio hujus libelli, quas-
,,dam authoritates Sacræ Scripturæ, quæ si nudè
,,proferantur, non expresse probant processionem
,,Spiritus Sancti à Filio, sicut quod inducit, SPIRI-
,,TUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQUAS. Uti-
,,tur etiam & ipse aliquibus modis loquendi, quos
,,in authoritatibus Sanctorum Patrum invenit,
,,qui sicut superius dictum est, magis sunt reve-
,,renter in dictis Patrum exponendi, quam ab
,,alijs usurpandi: sicut quod in divinis personis sit
,,primum, secundum, tertium: causa & causatum.
,,In suis etiam expositionibus, multis improprijs
,,verbis, & indecentibus utitur; sicut quod di-
,,cit, quod filius habet proprietatem geminam
,,inter Patrem & Spiritum, ut dicam subalter-
,,nam, per modum prædicandi. Prima se habet ad
,,Patrem tamquam subjectum ad prædicatum, &
,,secunda ut prædicatum ad subjectum, & ita ad Spi-
,,ritum Sanctum, quod est omninò erroneum. Item
,,dicit quod imago non importat originem, quod est
,,contra Augustinum in lib. 83. Quæstionum. Sunt
,,autem fortassis & alia in prædicto libello, quæ vel
,,dubia esse possunt, & expositione indigent: sed
,,quæ ad fidei assertionem utilia esse possent, ad
,,ea quæ præmissa sunt, ut credo, omnia possunt
,,reduci.

Si hæc sunt verba S. Thomæ, quod nullus sensatus negaverit, ne perstrinxeris Pater Reverende S. Thomam, alioquin calumniator, quasi ipse prædictas authoritates perperam transtulisset, sed gratus sis nomine Catholicæ Ecclesiæ Doctori Sancto, quod authoritates SS. Patrum Græcorum, non adeò benè translatas, ac proindè difficilem sensum habentes, & quæ propter indecentes expositiones dubiæ videbantur in fide, per suam expositionem Catholi-

cas

cas reddiderit, ut ex ijs, postmodùm fidei Catholicę veritas probaretur. Quod verò dicis aliquas authoritates quas S.Thomas exposuit in illo Opusculo, totaliter esse suppositas, etsi verum diceres, ubique errans, tuâ intentione frustratus, nihil adfers contra S.Thomam. Neque enim ipsius erat examinare utrum authoritates, ad se transmissæ ab Urbano, haberentur in Græcis Patribus, sed ex supposito quod haberentur, muneris sui duxit, eas Catholiè explicare, uti & fecit. Ex his corrige Pater Reverende, vel nequitiam, vel stupiditatem tuam; si enim sciveris prædictas authoritates non esse D. Thomæ, nequiter egisti, dum propter eas dixisti Opusculum contra errores Græcorum scatere gravissimis erroribus: stupidè verò, si credideris non solùm earumdem explicationem, sed & ipsarum authoritatum expositionem & allegationem esse S. Thomæ.

Sed ecce dum in eo quod S. Thomæ imposuerit gravissimos errores, gravissimum errorem ut jam vidimus commisit ipsemet impostor, recurrit folio 685. ejusdem Nodi undecimi, ad Catenam auream D. Thomæ, de qua supra, eamque dicit scatere tam gravibus erroribus, ut errores Opusculi contra errores Græcorum, respectu Catenæ aureæ pauci sint & parvi; etiamsi Opusculum illud dixerit scatere gravissimis erroribus. Ecce enim verba ejus extracta ex citato folio. *Sed ista* (loquitur de erroribus Opusculi contra errores Græcorum) *pauca & parva sunt, respectu illorum quæ inveniuntur vitiata in Catena aurea, in qua nulla est authoritas Sancti vel non Sancti ; quæ non unum vel duos, sed plures habeat errores.* Sed qui primum ejus dictum tangens Opusculum contra errores Græcorum miratus fui ut inverecundum, hoc secundum ejus dictum miror ut insensatum. Si enim sequi voluisset vel solam oculorum suorum sensatio-

nem,

nem, si legere dignatus fuisset Præfationem D. Thomæ ad Urbanum IV. præfixam Catenæ aureæ, legisset illic utique hæc S. Thomæ verba: *In assumendis autem Sanctorum testimoniis plerumque oportuit aliqua rescindi de medio, ad prolixitatem vitandam, nec non ad manifestiorem sensum, vel secundum congruentiam expositionis, litteræ ordinem commutari. Interdum etiam sensum posui, verba dimisi, præcipuè in Homiliario Chrisostomi*; & ex ijs profectò verbis modo cæcutire vel cæcus esse noluisset, luce clarius perspexisset, nullum S. Thomam commisisse errorem ex eo quod in Catena sua aurea, non adeò litteraliter authoritates Sanctorum Patrum transscripserit, vel eas solùm attulerit quoad sensum. Non enim erroris loco computandum est, id quod factum fuit de industria & ex intentione, ratione justâ id suadente, vel maximè si super eo ab auctore Lector rationem accipiat, & præmoneatur, uti S. Thomam fecisse, jam demonstravimus. Hæc cùm ita sint, ne sollicitus sit Pater de Alva ut per simulatum zelum, & quasi sub specie defensionis honoris & nominis D. Thomæ, Catenam auream, & Opusculum contra errores Græcorum auctori suo subtrahat: nec ex his & suprapositis prætensis erroribus colligat ut dicit se colligere folio 685. *Prædicta duo Opuscula non esse D. Thomæ*: & multò minùs promittat (uti tamen ibidem facit) se id ostensurum: qualiacumque enim Opuscula illa sint, quantumcumque secundum imprudens judicium Patris de Alva erronea, S. Thomæ sunt (uti patet, de Catena quidem aurea, in initio hujus libelli; de Opusculo verò contra errores Græcorum, ex immediatè supra allata Præfatione ipsiusmet Divi Thomæ ad Urbanum IV. opusculo illi præfixa) S. Thomæ inquam sunt & manebunt, donec Pater de Alva errores S. Thomæ in ijs contentos produ-

cat

cat in lucem, ( imò & tunc etiam ipsius erunt ) donec inquam eas produxerit, quod nec ipse umquam faciet, nec cum ipso totus Ordo Minorum. Sed his relictis ascendamus usque ad fol. 555, & 557.

Duobus illis folijs adducit authoritates S. Vincentij Ferrerij, & S. Antonini circa testimonium istud Christi, BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Fol. verò 558. conatur ostendere quamdam discordantiam inter utrumque in referenda ista, de approbatione Christi historia: & dicit hæc verba: *Istarum duarum revelationum narrationes in aliquibus differunt. Et primò quidem, quia S. Vincentius affirmat quod tunc dixit illi crucifixus:* BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. *S. Antoninus non dixit sibi crucifixum fuisse locutum, sed visibiliter Christum Dominum stantem, super quaternionem ei apparuisse?* Hæc fides est, hæc religiosa sinceritas Pater Reverende! Eia age, ubinam S. Antoninus dicit *Christum* STANTEM, *super quaternionem apparuisse?* Si benè memineris verborum rectè à te citatorum fol. 557. non dixit Antoninus quod apparuerit Christus stans super quaternionem, sed quod apparuerit, super quaternionem stantem in altari. Ecce enim verba S. Antonini à te allata citato jam folio: *Mira res! mox ibidem Christus visibilier apparens, à socio Doctoris, & aliquibus alijs observantibus, supra quaternionem stantem in altari conspicitur, taliter alloquens Sanctum suum* &c. Adeòne tibi idem est, quod dicatur Christus apparuisse stans, & quod dicatur apparuisse Christus super quaternionem stantem, id est positum in altari? Profectò hæc duo plus distinguuntur quàm distinctione Mediâ Scotisticâ, quantum enim distat ortus ab occidente, longè distat significatio Propositionis unius à significatione alterius, ut patet ex ipsis terminis. Sed callidè utriusque significationem confudisti, ut pro intento tuo

nos

nos confunderes: videbas enim quod discordantiam in hac parte inter S. Vincentium & S. Antoninum constituere non posses, nisi ly *stantem* quod appellabat supra quaternionem, applicasses Christo, ut sic secundum Antoninum diceretur apparuisse stans, qui secundum Vincentium apparuerat Crucifixus.

Quod si ad hoc replices ex folio 457. Antoninum equidem dixisse quod Christus non apparuerit Crucifixus, quod videtur patere ex ipsismet verbis Antonini jam citatis: *Mira res! mox Christus visibiliter apparuit*: mirum reputamus virum nomine-tenùs saltem doctum ex illis verbis resolutoriè audere deducere talem replicam. Optimè enim cum verbis illis Antonini compatitur, quod Christus apparuerit Crucifixus, ly enim *visibiliter* congruè, in subjecta præsertim materia, sumi potest, ut idem significet quod per modum viventis, ita ut visibiliter appareret seipsum movens, videns, loquens & sub hujusmodi actionibus visibilis. Ex his pateat usque nunc nullam repertam discordantiam inter SS. Antoninum & Vincentium. Cæterùm fol. 558. novam ponit discordantiam inter utrumque: ait enim. *S. Vincentius affirmat hoc contigisse circa eius obitum Neapoli scilicet. Beatus autem Antoninus quod quando erat juvenis, & legebat Parisijs.* Ad hæc verò inquiro ego, ubinam S. Antoninus dicit id contigisse, quando S. Thomas erat juvenis? ubi S. Vincentius quod contigerit Neapoli? Mendax sum si Vincentius de Neapoli mentionem faciat, vel Antoninus de S. Thomæ juventute: solùm enim primus dicit contigisse sub finem vitæ S. Doctoris, secundus quod Parisijs, & in utroque, uterque verum dixisse potuit: & verum dixit? ut enim dicit Sanctus Antoninus tertia parte Histor. tit. 23. cap. 7. §. 7.

*Cum Parisijs inter Doctores circa Sacramentum Dominici corporis ventilaretur quæstio admodum scrupulosa de dimensionibus & accidentibus, qualiter existerent sine subiecto in ipso mirabili Sacramento, & circa hoc diversa discordantia Magistri dicerent & sentirent, in hoc fertur omnium concordasse sententia: quidquid Frater Thomas Doctor determinaret & definitivè proferret hoc communis Schola inconcussè teneret; experti namque fuerant in alijs de eodem, quod ipse subtilius in omni quæstione veritatem attingeret, & eam clarius edoceret* &c. Si ea resolutione Universitas Parisiensis consuluerit S. Thomam, ut quidquid ipse definivisset hoc communis Schola inconcussè teneret, eo quod in alijs fuissent experti veritatem resolutionum S. Thomæ, & quod omnibus alijs subtilius resolveret: profectò necesse fuit ut tunc temporis suprà omnes nomen haberet & authoritatem, & per consequens provectæ esset ætatis. Neque enim credibile est quod Juniori, tantum detulissent. Undè manifestè patet errare Patrem de Alva dum dicit eodem fol. 668. Opusculum illud de accidendibus eucharistiæ fuisse primum Opusculum totius vitæ S. Thomæ, licet modò quæstio ista inveniatur in 3. parte quæst. 77. art. 1. Numquam enim voluisset Universitas pendere ex resolutione istius qui numquam ante doctrinam suam scripto manifestasset, maximè cùm nondum fuisset viginti quinque annorum, dum illud Opusculum scripsisset, si primum ejus sit. Etenim viginti & quinque annos natus prælegit Parisijs Sententias, & Magistrum Sententiarum commentarijs illustravit. In eo quoque quod dicat Opusculum illud de accidentibus Eucharistiæ esse primum, quod composuit S. Thomas contradicit P. de Alva S. Vincentio Ferrerio, dicit enim ille, uti patet ex his verbis relatis à Patre de Alva fol. 556. *Tunc S. Thomas scribebat ultimam partem,*

*partem in qua tractabat de prædicta materia accidentium, quam non perfecit morte preventus.* Quomodò Opusculum illud potuit esse primum, quod de vita sua Sanctus Thomas composuit, si illud composuerit, dum scriberet ultimum Opus vitæ suæ, quod nec perficere potuit morte præventus? Indoctè profectò, Pater Reverende hallucinatus es. Verum ex illo *ipso* quod S. Vincentius dicit, quod tunc S. Thomas scribebat ultimam, id est, tertiam partem Summæ suæ, currens ab hoc & ab hac, deducit aliam discordantiam inter utrumque illum iterùm Sanctum, eodem rursùs folio 556. ubi sic habet: *Item S. Vincentius indicat librum approbatum fuisse tertiam partem Summæ Theologiæ quam morte preventus non potuit perficere: & S. Antoninus asserit fuisse quaternionem continentem, tantum modum existendi accidentium in Sacramento Altaris.* Et in hoc, Pater Reverende, deficienter locutus es. Solùm enim dicit S. Vincentius quod *tunc Sanctus Thomas scribebat ultimam partem*, cum quo compatitur, tantùm fuisse approbatum quaternionem illum in quo scripserat de accidentibus panis, relictis in Eucharistia: quem verosimilius solum super altare reposuerat, cùm pro intelligentia istius solius Mysterij tunc temporis Deum rogaverit.

Quod attinet ad numerum, quoties videlicet hujusmodi approbatio doctrinæ D. Thomæ per Christum facta sit: demonstrato jam; non intervenire discordantiam inter S. Antoninum & S. Vincentium, non est necesse dicere, ut dicit Pater de Alva contigisse eam quinquiès. Piè tamen credimus approbasse Christum crucifixum Opusculum illud de accidentibus Eucharistiæ, propterea quod inter cæteros sic referant S. Antoninus & S. Vincentius: approbasse quoque in forma pueri Officium Sacrosancti sui Corporis à S. Thoma compositum, propterea

quod sic testetur idem Vincentius; Opusculum etjam contra errores Græcorum, quod sic afferat S. Antoninus: approbasse eum denique omnia D. Thomæ Opera, quod sic testatum nobis reliquerit ipsum Caput Ecclesiæ Clemens VIII. in brevi suo, scripto ad Neapolitanos his verbis: *Ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine ac mirâ perspicuitate,* SINE VLLO PRORSVS ERRORE *conscripsit, in quibus conscribendis interdum SS. Apostolos Petrum & Paulum colloquentes, loc. s. illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit,* ET QVOS DEINDE CONSCRIPTOS EXPRESSA CHRISTI DOMINI VOCE COMPROBATOS AVDIVIT. Si tribus his testibus omni exceptione majoribus piè credere Pater de Alva noluerit, discredat impiè.

Sed credo inquit, Pater de Alva, fol. 575. & 576. & admitto hujusmodi Christi approbationes, supposito quod S. Thomas numquam docuerit Divam Virginem conceptam in peccato originali. Quid verò si docuerit? hujusmodi inquit eodem folio 575. Approbatio *est falsissima impostura, quia Christus non approbavit doctrinam D. Thomæ, nec dixit illud:* BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Et quare non dixerit? Audi argumentum ejus à priori ibidem adductum: *Quia quando* (id est, licet) *esset certum & infallibile quod Virgo Maria contraxit peccatum originale, Filius eius hoc non revelaret, quia aliàs Christus esset alter Cham filius Noë, frangendo præceptum, quod ipse severissimè imperavit Levitici cap. 18. vers. 7. Ego Dominus: turpitudinem Patris tui, & turpitudinem Matris tuæ non discooperies: Mater tua est, non revelabis turpitudinem eius.* Hæc est ratio propter quam Pater de Alva credere nec vult nec potest, doctrinam D. Thomæ approbatam esse à Christo, supposito quod docuerit

matrem

matrem ejus conceptam in peccato originali. Cæterùm pudeat Lectorem Jubilatum, non dico hujusmodi argumento moveri, sed illud ipsum à se formatum, obtrudere viris Scripturas intelligentibus. Enimverò cui vel per somnium incidit quod in loco illo loquatur Dominus de turpitudine peccati originalis? quod si sic loquatur, multùm debet Ecclesia Catholica Patri de Alva propter manifestationem usque nunc ei ignoti præcepti, nunquam enim ipsa vel aliquis ejus Doctor, hujusmodi Domini præceptum intellexit, vel intelligendum duxit de manifestati ne turpitudinis peccati originalis, sed in eo intellexit prohibitionem ne pater & filia, filius & mater, carnaliter ad invicem commiscerentur.

Antequam hunc Nodum concludamus, liceat mihi à Patre de Alvá inquirere super matre sua, utrùm ipsa contraxerit peccatum originale? Cave ne respondeas Pater: si enim dixeris quod non contraxerit, hæreticus es: si dixeris quod sic, frangis præceptum Domini à te citatum ex Levit. 18. revelas enim turpitudinem matris tuæ. Dum siles, ego pro te respondeo, idque absque violatione prædicti præcepti (solùm enim mihi vicissim, juxta te, prohibet, ne revelem turpitudinẽ non tuæ sed matris meæ) ego inquam pro te respondeo super matre tua & dico, quod dicenti, quod originale peccatum non contraxerit Concilium Trident. Sess. 5. dicat anathema. Imò, verè originale peccatum contraxit; & quod argumentum tuum puerile sit & ridiculum, id ipsum dico de matre mea, & in hac parte revelo turpitudinem ejus, & ipsa enim peccavit in Adam, *in quo omnes* (nihil tango de Maria) *in quo omnes peccaverunt.*

# NODUS SEPTIMUS.

IN hoc Nodo tractatur de approbatione doctrinæ, seu expositionis S. Thomæ, quâ exposuit omnes Epistolas D. Pauli, factâ ab eodem D. Paulo. Priusquam verò approbationem illam incipiat perstringere, proponit authoritatem aliquam ex S. Antonino 3. parte Hist. tit. 19. in qua S. Antoninus videtur dicere quod S. Thomas non scripserit super omnes Epistolas D. Pauli, sed solùm super ejus Epistolas ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos usque ad caput undecimum: & quod in reliquas Epistolas scripserit Socius S. Thomæ Reginaldus. Authoritatem verò illam eo fine adducit, ut suspectam faciat expositionem illam S. Thomæ. Deindè citat aliam authoritatem ejusdem S. Antonini, quâ dictam approbationem doctrinæ D. Thomæ per S. Paulum fuisse factam, nos communiter probamus. Circa illam verò horribiliter perstringit Doctores Salmanticenses, quod in referenda illa authoritate S. Antonini, legalitatem seu ejus litteram non observaverint. Perstringit quoque Patres nostros, quod in ultima editione Romanâ, factâ jussu Pij V. ex lect. 6. in cap. 3. ad Galat. expunxerint verba illa: *Excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria.* Et discurrit super eo quod prædicti nostri Patres in sua Præfatione præfixâ Operibus D. Thomæ præmonuerint in hunc modum: *Curavimus, ut emendatissimè imprimerentur omnia, amotis etiam ab ijsdem commentarijs atque expunctis omnibus locis, iuxta nostri Ordinis Sanctiones, quæ post Decreta Tridentinæ Synodi Lectorem poterant detinere dubium.* Ex eoque deducit, quod nostri expunxerint verba illa ex Operibus D. Thomæ, non,

quod

quod non essent verba D. Thomæ, sed quod Sanctiones seu ordinationes Ordinis nostri, ea expungi voluissent.

Ad universa hæc nunc compendiata volupe erit Patri de Alva, si respondeamus: & nos libenter voluptatem illi eam præstiterimus. Et imprimis quoad primum, dicimus resolutoriè expositionem in omnes Epistolas S.Pauli esse indubitatum Opus D.Thomæ: & quod dicimus sic probamus, destruendo argumentum Contrarij. Si propter aliquam rationem expositio illa in omnes Epistolas D. Pauli non esset indubitatum Opus D. Thomæ, esset, propter hæc verba S. Antonini ex loco citato, *Scripsit etiam postillas super Epistolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos usque ad undecimum caput, & super alias Epistolas Pauli reportatæ sunt per Raynaldum socium suum post ipsum legentem: quas idem Doctor fertur postea correxisse.* Sed ratio ista est nulla. Quid enim est reportare post alium legentem? Si ego tibi prædicta verba exponere voluero, scio quod quantumcumque etiam fundatam, quia meam, non reciperes expositionem. Audi igitur Pater optime, verborum istorum significationem ex Possevino Societatis Jesu in suo Apparatu sacro. Juxtà istum nominatum Scriptorem, reportare post alium legentem, est excipere scripto doctrinam, quam alter oretenus tradit, quemadmodùm sæpiùs scripto excipiuntur integræ conciones ex ore alicujus famosè prædicantis. Ecce enim tibi ipsissima verba Possevini. *Iam quæ in omnes D. Pauli, & in septem Canonicas Epistolas, partim suâ manu, partim dum doceret excipiente eius socio Fratre Reginaldo sunt scripta, eiusmodi sunt ut sicut verè dixit Vielmus, sit ubique ipsissimus &c.*

Igitur juxta Possevinum, imò verò juxta omnem Calepinum reportare post alium legentem, est exci-

pere scripto doctrinam quam alter oretenus tradit. Ad hæc, cujus censenda est doctrina, vel docentis, vel post docentem, id est, ex docentis ore reportantis, seu scripto excipientis? sanè si concionem Hispanicam quam Pater de Alva Bruxellis habuit in Sacello Sacratissimi Rosarij apud Nos, excepissem ego scripto ex ejusdem Patris prædicantis ore, & titulo quod eam excepissem solo scripto, meam dicerem, vapularem meritò, tamquam stultus meiipsius ostentator, & unus de eorum numero quos gloria vexat inanis: qui dum propria non habent quæ ostentent alicujus excellentiæ testimonia, rapiunt aliena. Sic vicissim non reportantis ex Doctoris ore, sed ipsiusmet docentis, doctrina aliqua censenda est. Maneat proindè tota expositio in omnes Epistolas Pauli indubitatum Opus D. Thomæ, licet partem illius expositionis Reginaldus Doctoris socius modo dicto dicatur reportasse.

Quid vero si exindè Pater de Alva deducat, expositionem illam pro quanto à Reginaldo reportata fuit, necessariò debuisse scatere erroribus, quod Reginaldus non adeò correctè potuerit excipere scripto, quæ S. Doctor docebat ore? Huic replicæ non contrariamus; facilè enim crediderimus Reginaldum non ita correctè assecutum calamo, S. Thomæ eloquium. Cæterùm hoc non derogat authoritati prædictæ expositionis, cum teste S. Antonino loco supra citato, totum quod Reginaldus reportaverat, dicatur postea correxisse.

Sed quomodò illud S. Thomas correxerit replicat iterum Pater de Alva fol. 589. *Quia opus istud elaboravit Angelicus Doctor instante morte suâ. Si decessit è vita laborando istam expositionem epistolarum, quomodò dixit S. Antoninus quod eius socius Reginaldus reportavit seu complevit istam expositionem? Quomodò vel qualiter*

*fuit postea correcta ab ipso Angelico Doctore? Nisi dicant quod venerit è cælo ad illius correctionem. Hæc & alia possunt componere me doctiores.* Licet te doctior non sim, sed qui tuus vellem esse discipulus, nisi plus æstimarem S. Thomam, quam Scotum tam in sanctitate quam doctrina (qui potest capere, capiat: nec tamen in minimo tango Scotum quem veneror pro doctissimo quondam & religiosissimo viro) hæc à te proposita, facili negotio compono. Negando videlicet suppositum tuum, & illud tuum, *si decessit è vita, laborando istam expositionem.* Quis enim umquam dixit *quod opus istud elaboravit Angelicus Doctor instante morte?* Hoc ipsum, respondebit Pater de Alva, deduci necesse est ex verbis S. Antonini, ex quibus Thomistæ probant approbationem doctrinæ seu expositionis prædictæ per S. Paulum. Dicit enim Antoninus 3. part. hist. tit.23. cap.7. §. 12. *Quidam etiam Frater Paulus de Aquila, magnæ probitatis & famæ, illâ horâ quâ Sanctus migravit, in visione imaginariâ vidit B. Thomam, in scholis legentem in cathedra coram multis: & ecce videbatur sibi, quod Sanctus Paulus intraret scholas eius, qui cum descendens de cathedra vellet occurrere, ait Apostolus ei: revertere ad locum, & prosequere lectiones tuas. Rogavit autem B. Thomas Paulum ut ei diceret, si habuisset in epistolis suis verum intellectum? Cui respondit, quod utique verum habuisset, quantum potest quis vivens habere. Et subdidit. Volo ut venias mecum, ut habeas clariorem de omnibus intellectum, videbat....... eum per cappam extra scholas extrahere.*

Videamus nos utrum ex his verbis deduci necesse sit; quod S. Thomas expositionem illam fecerit morte instante, seu ut loquitur Pater de Alva, utrum decesserit è vita laborando istam expositionem? Dicit quidem ut jam legimus S. Antoninus quod hujusmodi apparitio contigerit probo illi & famoso

Paulo de Aquila, illâ horâ quâ Sanctus migravit, sed quid inde necessitatis ut S. Thomas tunc, id est instante morte, dicatur scripsisse in Epistolas Pauli, super quarum expositione, an videlicet recta foret, Paulum rogare visus est in hora sui transitus? potuit profectò S. Thomas videri sub hora suæ mortis inquirens à S. Paulo, utrum in ejus Epistolis habuisset verum intellectum, ita tamen quod antecedenti tempore expositionem illam composuisset; quemadmodùm etiam Pater de Alva, si Deus eum dignaretur alicujus Sancti apparitione, præcipuè super Nodo suo indissolubili posset interrogare vel sciscitari, utrum in eo habuisset verum intellectum, licet Nodum istum composuerit jam ante annos. Cæterùm pro hujus certificatione, apparitione alicujus Sancti opus non est, cum ad oculum pateat & manu palpetur in hoc nostro libello, quod Nodus ille scateat falsitatibus, contumelijs, irrisionibus mendacijs &c. Ne proindè recurrat ad hoc quod S. Thomas debuisset post mortem descendere de cælo, pro correctione istorum quæ Reginaldus reportaverat, correxit enim illa S. Thomas dum adhuc viveret in hoc mortali corpore, correxit dico, sed in apparitione Pauli de Aquila sub mortem suam cum reliquis suis in alias Epistolas Pauli scriptis, bene scripta intellexit. Hæc de primo & de secundo, incidenter enim authoritatem illam S. Antonini, quâ approbationem S. Pauli pro doctrina D. Thomæ probamus in hoc primo puncto proposuimus.

Verùm illi addi posset (licet Pater de Alva istius non meminerit, quia fortassis non habuit quid ad illam responderet) alia authoritas S. Vincentij Ferrerij quam habet in sermone pro S. Thomâ habito, uti videre est in concionibus ejus de Sanctis. Illic itaque fol. 196. habet hæc verba: Item (supple,

recurre-

recurrebat ad orationem) *Quando sibi dubia occurrebant: & statim ab Angelo vel Apostolo Petro & Paulo ei visibiliter apparentibus, de dubijs certificabatur: ecce quales Magistros habebat.* Et Nota quod hæc authoritas S. Vincentij non loquatur de dubijs quæ Sancto Thomæ occurrebant in certa aliqua materia, sed dicit, quod quando, id est, quotiescumque sibi dubia occurrebant quæ per se videlicet non audebat resolvere, de dubijs ab Angelo ( ecce iterum alteram commendationem doctrinæ D. Thomæ ) vel Apostolo Petro & Paulo ei visibiliter apparentibus certificabatur. Et hoc maximè patuit in deficili illo textu Isaiæ, de quo, dum divinitus intelligentiam ejus acceperat, adjuratus à socio suo Reginaldo, ut sibi manifestaret cum quibus nocte locutus fuisset, sic locutus est. *Fili vidisti afflictionem meam his diebus super dubio litteræ textus hujusmodi quem modo exposui & tu scripsisti, quem à Deo intelligere impetravi, qui hac nocte misit ad me vigilantem, B. Apostolos Petrum & Paulum, quos ad hoc impetrandum, intercessores rogaveram apud Deum, cum quibus modo locutus sum, qui me plenissimè de hoc quod rogaveram instruxerunt.* Lege hæc verba apud S. Antonin. 3. part. hist. tit. 23. cap. 7. §. 6.

Quod hæ authoritates nimis expressæ sint pro doctrina D. Thomæ non audet eas negare. Verùm, ut veniamus ad tertium punctum quod proposuimus ex Patre de Alva, horribiliter perstringit Doctores Salmanticenses quod in referenda prima authoritate S. Antonini, non observaverint legalitatem seu litteram, sed illam ita vitiarint ut ipso referente fol. 588. in una authoritate habente viginti quatuor dictiones, inveniantur plusquam 40. vitia: atque hanc adulterationem verborum, dicit eodem fol. *Non factā antiquitus, sed modo: neque in aliquo angulo terræ, sed in insigni*

*signi Academia Salmanticensi: nec denique ab aliquo incognito scriptore, sed à novem preclarissimus Magistris ac Doctoribus.* Sed pace tua Pater Reverende: Scotista es tu an Nominalis? Si Scotista sis, utique parva tibi erit cura de nominibus significantibus, dum res significata eadem sit. Si Nominalis es, scholam tuam utique abjurasti, ita videlicet, si Schola tua sit de solis vocibus. Sed non solas, inquis, voces adulterarunt fol. 588. & 587. sed *insuper ad vitia quoad litterum, addiderant aliud quoad sensum.* Pro veritate hujus dicti tui, cito te ad pœnam libri. Ecce enim authoritatem S. Antonini suprà etiam allegatam. *Rogavit autem B. Thomas Paulum, ut ei diceret, si habuisset in Epistolis suis verum intellectum? Cui respondit, quod utique verum habuisset, quantum potest quis vivens habere.* Ecce ex altera parte verba Doctorum Salmanticensium, à te citata & adducta fol. 583. *Cuius rei memoriam facit S. Antoninus 3. part. Hist. tit. 23. cap. 7. §. 12. dicens. Sciscitabitur verò ex S. Paulo Thomas, num probè assecutus esset mentem Epistolarum eius? Cui Apostolus respondit: Quantum quidem assequi potest quispiam in humano corpore.* Tu qui hæc legis, invenis discordantiam inter unam & alteram authoritatem quoad sensum? Ego non invenio. Loco *rogavit*, posuerunt Salmanticenses *sciscitabatur*; & utrumque illud verbum in allegato sensu synonimum est: Loco *autem*, posuerunt *verò*. Et illa ejusdem prorsùs significationis sunt. Loco *Si habuisset in Epistolis suis verum intellectum*, posuerunt *num probè assecutus esset mentem epistolarum eius*. Et illa etsi metaphysicare quis voluerit in relatione morali, idem significant. Ille enim qui verum intellectum habet in alicujus epistola, intelligit mentem scribentis. Denique ubi S. Antoninus dixit, *Quantum potest quis vivens habere:* dixerunt Salmanticenses, *Quantum quidem assequi potest quispiam in humano corpore*

& in

& in his duabus clausulis eadem est res significata: non enim hic vivitur, nisi in humano corpore.

Hæ sunt adulterationes, quarum exorbitantiam non sufficienter Pater de Alva explicasset, nisi eas dixisset factas *non in aliquo angulo terræ, nec ab aliquo incognito Scriptore, sed in insigni Academia Salmanticensi, & quidem à novem præclarissimis Magistris & Doctoribus.* Ex his penes Lectorem sit judicium, qualiter videlicet Pater de Alva videatur parturire montes integros, & gignat mures ridiculos. Qualiter hic, sic & per totum librum suum. Verum magis fundatè fortassis Patres nostros perstrinxerit, quod in ultima editione Romana, ex Lectione 6. super caput 3. ad Galat, expunxerint verba illa *Excipitur purissima & omni laude dignissima, Virgo Maria.* Et quare illa expunxerint Pater Reverende? Rationem reddit fol. 592. *Quia erat* (illa videlicet exceptiva) *in laudem, gloriam & honorem puritatis ac immunitatis Dei Matris.*

Ibi est prima ratio eodem fol. 592. Quod attinet ad eandem rationem non usque adeò contrariamur Marianæ gloriæ, ut vel minimum, eidem velimus detractum: si vel hodiè Summus Pontifex pro D. Virgins gloriâ definierit Beatissimam Mariam conceptam sine peccato, primi erimus, qui tamquam Mariamæ gloriæ Zelatores definitionem illam ambabus manibus amplectemur & immaculatam conceptionē promovebimus in populo. Quod usq; modo contrariæ opinioni Ordo noster adhæserit, non ex aversione vel minima erga Sacratissimam Matrem nostram processit, sed quod sub indignationis pæna à nobis Sacratissima Virgo non exigeret, quod sententiam usque modo probabilem desereremus. Sed quomodo, inquiet Pater de Alva non ex aversione? Numquid Patres illi Romani sequi debuerant anti-

quiora

quiora exemplaria in correctione operum D. Thomæ, & secundum illa corrigenda corrigere? Utique Domine. Quid ni ergo id fecerunt? Fecerunt utique. Licet enim novem fuissent diversæ æditiones S. Thomæ in Epistolas Pauli in quibus prædicta particula exclusiva continebatur, cum tamen earum antiquior solum fuerit ab Anno 1529. teste Patre de Alva fol. 590. ubi etiam citat annum editionis reliquarum octo editionum: novem illas editiones nec sequi poterant nec debebant: ex eo videlicet quod præter novem illas editiones, præter cæteras de quibus statim, constet ex ipso-met Patre de Alva esse, & fuisse, sex editiones alias in quibus prædicta exceptiva non habetur: quarum tres vetustioris impressionis sunt illis novem, & quarta nostra, coincidit in eundem Annum impressionis, cum vetustiori exemplari ipsorum. Et nostrarum quidem trium vetustior editio est ab Anno 1481 Altera ab anno 1495. Tertia ab Anno 1518. Quod spectat ad quartam ea est ab Anno 1529. in quem annum incidit vetustior editio ex illis novem, teste iterum ipsomet Patre de Alva, folio 591.

Non igitur prædictam clausulam expunxerunt Patres Romani ex operibus D. Thomæ, quod illa esset in gloriam & honorem Dei Matris: sed quod in operibus D. Thomæ per fraudem esset intrusa, uti ad hominem convincitur ex antiquioribus ab ipsomet Patre de Alva, ut jam vidimus, citatis exemplaribus. Quibus addi potest quintum exemplar in quo iterum prædicta exceptiva clausula non habetur, impressum Anno 1491 Typis Boneti Locatelli Bergomensis: quod existit in Biblioteca Ordinis nostri Bruxellis. Et sextum impressum Parisijs Anno 1526. curâ Nicolai Favetier, quod vidi in Bibliotheca Abbatiæ S. Michaelis Antuerpiæ. Quod si vero

sex

sex illis jam citatis exemplaribus addideris duo alia exemplaria etiam citata à Patre de Alva prædicto folio 591. quorum primum impressum fatetur, Anno 1556. alterum verò Anno 1569. Et insuper duo alia quæ ego vidi in eadem Bibliotheca Abbatiæ S. Michaelis, impressa, unum Anno 1546. secundum Anno 1562. in quibus universaliter prædicta exceptiva non habetur, jam non solum sex, sed etiam decem diversas editiones exculas sine illa exceptiva ante Annum 1570. & quarum saltem quinque vetustiores sunt, contraponimus pro nobis novem alijs recentioribus contrariorum. Unde temerariè & falsò convincitur dixisse Pater de Alva fol. 592. quod Patres in recollectione & correctione operum Divi Thomæ laborantes, derelinquentes majorem numerum, quia erat in laudem, gloriam, & honorem puritatis ac immunitatis Dei Matris, secuti sint numerum minorem: enim vero secuti sunt numerum majorem, decem videlicet de quibus constat diversas editiones, relictis novem, & illis quidem recentius impressis, quam quinque ex illis decem. Hæc de prima ratione.

Secundam rationem hujus expunctionis allegat Pater de Alva fol. 601. ubi sic habet: *Patres illi Romani* (loquitur de illis Patribus qui jussu Pij V. jusserunt Romæ reimprimi opera D. Thomæ) *ponderando prudenter materias, correxerunt illa quæ invenerunt in S. Thoma, & iudicarunt esse correctione digna: nam etsi S. Thomas his temporibus viveret, absque dubio illa emendasset: & sic ipsi ut optimi filij ac discipuli hoc obsequium præstarunt suo Magistro, ac Fratri.* In hoc dicto suo fundat se Pater de Alva, in verbis eorumdem Patrum Romanorum ex præfatione, præfixâ Romanæ illi editioni, *quæ* præfatio *aureis literis*, uti loquitur fol. 592. *debebat hic, & in omnium cordibus depingi.*

*pingi.* Quare aureis litteris? Ex eo profectò quod in ea materiam sibi existinet ministrari, ad impugnandum doctrinam D. Thomæ. In illa igitur præfatione prædicti Patres habent hæc verba. *Curavimus itaque ut quam emendatissimè imprimerentur omnia, amotis etiam ex eisdem commentarijs atque expunctis omnibus locis, juxta nostri Ordinis Sanctiones, quæ post decreta Tridentinæ Synodi Lectorem poterant detinere dubium, vel suspensum, quos videlicet vel ipsemet Commentator vivens emendaverat, & si viveret emendasset.* Illa sunt verba in quibus se fundat Pater de Alva ut sine temeritate videatur dicere. *Ipsi ut optimi filij ac discipuli, hoc obsequium præstarunt suo Magistro, & Fratri,* ut videlicet ea ex ejus scriptis expungerent, quæ ipse si viveret fuisset expuncturus. Ad sciendum, utrum hoc fundamentum Patris de Alva subsistat, examinandum est, quis intelligatur per illum Commentatorem, ex cujus commentarijs Patres illi se dicunt aliqua expunxisse.

Atque ut nos liberet à labore examinis. *Ego existimo,* inquit Pater de Alva fol. 601. *Quod iste commentator sit ipsemet S. Thomas, qui quidem dum viveret correxit in aliquibus sua opera, in alijs vero incorrecta dereliquit.* Ego vero existimo nihil absurdius à viro intelligente posse dici, quam quod per Commentatorem illum, intelligendus veniat S. Thomas. Quis enim S. Thomam aliquando Commentatorem nuncupari audijt vel nuncupavit? Commentator profectò ille, Thomas quidem, sed non Thomas Aquinas, sed Thomas de Vio Cajetanus qui totam Summam, D. Thomæ subtilissime noscitur commentatus. Et vero quod per Commentatorem illum intelligendus sit Cajetanus, patet ad hominem ex eadem præfatione: in qua postquam Patres nostri Romani dixerant. *Primò restituimus locos quam plurimos tam in*

*textu quam in commentarijs:* & alia illa verba *curavimus itaque* &c. ad calcem præfationis, specificant & de verbo ad verbum adferunt unum locum, per modum exempli aliorum, depravatum ex prædicto Commentatore in editione quadam Antuerpiensi & in sua editione restitutum. Locus autem depravatus & restitutus, est ex Cajetano 2. 2. quæst. 122. art. 4. uti videre est ex ipsissima citatione eorundem Patrum; Dicunt enim ibidem. *In commentarijs super 2. 2. quæst. 122. art 4. &c. sic legis.* Et postmodum addúcunt litteraliter locum tam depravatum quam correctum, qui de verbo ad verbum continetur in Cajetano, loco jam citato, nullatenus vero in D. Thoma. Igitur per Commentatorem falsò intelligit Pater de Alva S. Thomam & malevolè. Falsò: quia contra veritatem; malevolè vero, ut videlicet nihil certi hodierna die haberetur ex tota doctrina Divi Thomæ: quocumque enim ex operibus S. Thomæ allegato, statim posset responderi, illud non esse genuinum verbum D. Thomæ sed esse correctionem imo & verbum istorum Patrum Romanorum, si S. Thomas Commentatoris nomine intelligeretur. Commentator itaque non S. Thomas, sed Thomas de Vio-Cajetanus.

Atque ex illo Thoma, seu ejus commentarijs expunxerunt Patres illi Romani ea quæ ipse vel vivens emendaverat, & si viveret emendasset: idque juxta sanctiones Ordinis nostri, cujus & in hoc commendatur singularis in Romanam Ecclesiam observantia; quod videlicet etiam ex nominatissimo illo scriptore expungi mandaverit ea quæ cum Tridentinæ Synodi, post ejus mortem celebratæ, decretis, non videbantur convenire. Ne proinde absurdissimè Pater de Alva amplius inquirat fol. 601. & dicat. *Interrogo: præceperat summus Pontifex ut corrigerent*

*doctri-*

*doctrinam S. Thomæ secundum Sanctiones sui ordinis, vel secundum veritatem originalium? Regula doctrinæ Quinti Doctoris Ecclesiæ, scribentis ad Annum 1250. sunt sanctiones Ordinis factæ post trecentos Annos?* Quod enim attinet ad correctionem operum D. Thomæ, ea facta est non secundum Sanctiones Ordinis nostri, sed ad mandatum Pij V. idque non pro mera voluntate, sed secundum veritatem originalium, quæ sola fuerunt unica regula, secundum quam prædicta correctio processit. Quod vero spectat ad correctionem commentariorum Cajetani, ea facta est secundum sanctiones seu ordinationes Ordinis nostri, ne videlicet prædicta Cajetani commentaria, decretis Tridentini Concilij, in aliquo contrairent. Jam quod dicit Pater de Alva quod *S. Thomas dum viveret correxit in aliquibus sua opera, in alijs verò incorrecta dereliquit:* Admissa priori parte; secundum partem tamquam D. Thomæ injuriosam absolute negamus: donec Pater de Alva, specificet illa quæ S. Thomas reliquit corrigenda. Quod si ad hoc dicat, quod illa reliquerit incorrecta, quæ postmodum Patres correxerunt: hoc gratis dicit & temerariè. Enim vero illos locos solum correxerunt Patres illi, qui videlicet, ut in præfatione jam sæpe citata loquuntur *Alias aut inter imprimendum irrepserant, aut etiam impressi non fuerant, aut denique falsariorum & hæreticorum perfidiâ prodigiosè corrupti fuerant.*

Cæterùm, primus non fuit Pater de Alva, qui dixit S. Thomam Opera sua reliquisse in pluribus incorrecta. Fuit qui idem dixerit, non multò post obitum Doctoris Sancti. Ut enim loquitur Eximius Dominus Franciscus Sylvius in Apologia sua pro S. Thoma fol, 4. *Circiter decimus ab eius* (id est Divi Thomæ) *obitu labebatur annus, cum ecce audaculus quispiam ad suum tribunal tamquam Censor citavit* (supple, S.Tho-

S. Thomam ) *& insigni pariter inscitiâ & petulantiâ correxit ( ut quidem ipse loquebatur ) librumq; edidit correctorium Thome inscriptum.* Fuit ille audaculus, teste Possevino & alijs. P. F. Guilielmus Lamarensis Ordinis Minorum frater, & confrater Patris de Alva: qui non solùm dixit S. Thomam reliquisse sua Opera incorrecta, sed & illa ( ut loquebatur correxit.) Undè & librum in ea parte à se scriptum, Correctorium Thomæ intitulavit. Verùm non defuit, qui reprimeret audaculi istius audacem temeritatem. Ægidius namque Romanus, Beati Thomæ olim auditor, & in tantum discipulus, ut Doctoris Fundamentalis cognomentum postmodùm sortitus sit, *Errores atque ineptias scioli istius* ( verba sunt iterùm Sylvij ibidem fol. 5.) *ita detexit, & in theatrum exposuit, ut veluti publico iudicio victoriam tulerit, at libellum prædictum* quem auctor videlicet correctorium Thomæ intitulaverat ) *eleganter ac verè corruptorium Thomæ nuncupandum quasi digito monstraverit.*

Porrò librum, quem Ægidius in defensionem S. Thomæ composuerat, eâdem elegantiâ & veritate, correctorium corruptorij inscripsit. Et in eo profectò videre est nihil S. Thomam reliquisse in Operibus suis incorrectum, sed adversarij correctionem, corruptionem dico, ex invidia processisse, & cæco quodam pro sui Ordinis Scriptoribus affectu, quos, supra S.Thomam optasset exaltari, & haberi in pretio. Quemadmodùm & hodiernâ die Ordinis Minorum aliqui idipsum pro Scoto volunt: quorum aliquem his ipsis meis auribus, in disputationibus publicis Lovanij habitis 17. Julij hujus anni, dicentē audivi: quod solutioni argumenti sui acquiesceret, si authoritate Scoti solveretur ( solvebatur autem authoritate S. Thomæ ) ex eo quod diceret quod pluris faceret Scotum, quàm S. Thomam in doctrina, licet non

in sanctitate. Et is profectò sciolus fuit.

Ad hæc usque nunc in hoc Nodo posita non videmus quid possit objici à contrario: nec tamen ut putem silet. Sed assumit contra nos quod Patres nostri D. Thomæ Opera, nunc addendo, nunc expungendo &c. admittantur correxisse: ex quo forsassis deducit nutare modò fidem modernorum exemplarium: quod additiones, detractiones, circumcisiones, & similia facta in impressione alicujus Operis, ipsum Opus videantur dubium reddere vel suspectum. Nihilominus frivola est hæc à quocunque fiat objectio. Atque ut hoc dictum nostrum irrefragabiliter probemus; ipsa sacra Biblia proponimus in probam. Quam non multa in ipsis emendata, restituta, correcta in ipsa vulgata editione jussu Sixti V. & Clementis VIII? Et verò, an propterea hodiernâ die nutat fides vulgatæ? Imò verò propter correctionem crevit. Sic & fides seu authoritas Operum D. Thomæ, propter correctionem factam jussu Pij V. incrementum sumpsit, absit quòd diminuta sit.

Quod attinet ad particularia hujus Nodi, pauca notanda sunt, unum verò præ reliquis obstupescendum, quomodò videlicet non verecundetur fol. 595. & 596. scribere hæc verba: *Interrogo iterùm: sicut fuit intrusa ista clausula exceptiva Virginis Dei Matris à peccato originali, in illa expositione epistolarum:* EXCIPITVR PVRISSIMA ET OMNI LAVDE DIGNISSIMA VIRGO MARIA: *Non potuit introduci antea in 3. Sententiarum quest. 3. quæ inclusiva est Virginis intra peccatum originale, hæc clausula:* SED NEC ETIAM IN IPSO INSTANTI INFVSIONIS, *ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret? Illa quia est in favorem Virginis, licet nullum inveniatur fundamentum, fuit intrusa: & hæc quia est*

contra

*contra eius puritatem, tot fundamentis demonstratis in Sole veritatis non fuit addita: Quæ sunt in favorem Dei Matris, imò & doctrinæ S. Thomæ, non habent aliam solutionem nisi dicere: sunt addita, & clausa est ianua: & quæ sunt contra, non sunt addita, licet tot tantaque inveniantur fundamenta, & exempla evidentia ac testimonia.* Sic ille. Principaliora quæ noto ex his verbis Patris de Alva sunt hæc duo. Primum quod dicat, nos sine fundamento dicere quod clausula illa: *Excipitur purissima*, &c. *Virgo Maria*, ab aliquo falsario fuerit intrusa in S. Thomam. Secundùm quod dicat constare per fundamenta evidentia, ac testimonia allata in Sole veritatis, quod nos in tertium Sententiarum intruserimus verba illa: *Sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur ne culpam originalem incurreret.* Quod attinet ad primum: non oportet id de novo iterùm referre, superiùs enim fundamentum ex quo dicimus illam exceptivam fuisse intrusam intra S. Thomam, Patri de Alva proposuimus: vel si velit ut ei hic refricemus memoriam, hic iterùm uno verbo proponimus. Fundamentum igitur nostrum est, quod uti vidimus ex ipsomet Patre de Alva, exceptiva illa in antiquioribus editionibus non habeatur. Quod spectat ad secundum, dico resolutoriè, in hac parte Patrem de Alva manifestum agere impostorem, paratus subire pœnam talionis, nisi falsitatis eum convicero. Dicis igitur Pater, te demonstrare in tuo Sole veritatis, quod nos verba illa in 3. Sent. intruserimus: & ego dico hoc dictum esse manifestam imposturam. Quod spectat ad tuum dictum, non est quod illud hic iterùm probes: probasti enim in Sole tuo veritatis quod verba illa intruserit Noster Pater Bartholomæus Spina Magister quondam Sacri Palatij, dum ad annum 1534. reimprimi fecit Opera D. Thomæ:

in sanctitate. Et is profectò sciolus fuit.

Ad hæc usque nunc in hoc Nodo posita non videmus quid possit objici à contrario: nec tamen ut putem silet. Sed assumit contra nos quod Patres nostri D. Thomæ Opera, nunc addendo, nunc expungendo &c. admittantur correxisse: ex quo forsan deducit nutare modo fidem modernorum exemplarium: quod additiones, detractiones, circumcisiones, & similia facta in impressione alicujus Operis, ipsum Opus videantur dubium reddere vel suspectum. Nihilominus frivola est hæc à quocumque fiat objectio. Atque ut hoc dictum nostrum irrefragabiliter probemus; ipsa sacra Biblia proponimus in probam. Quam non multa in ipsis emendata, restituta, correcta in ipsa vulgata editione jussu Sixti V. & Clementis VIII? Et verò, an propterea hodiernâ die nutat fides vulgatæ? Imò verò propter correctionem crevit. Sic & fides seu authoritas Operum D. Thomæ, propter correctionem factam jussu Pij V. incrementum sumpsit, absit quod diminuta sit.

Quod attinet ad particularia hujus Nodi, pauca notanda sunt, unum verò præ reliquis obstupescendum, quomodò videlicet non verecundetur fol. 595. & 596. scribere hæc verba: *Interrogo iterùm: sicut fuit intrusa ista clausula exceptiva Virginis Dei Matris à peccato originali, in illa expositione epistolarum:* EXCIPITVR PVRISSIMA ET OMNI LAVDE DIGNISSIMA VIRGO MARIA: *Non potuit introduci antea in 3. Sententiarum quest. 3. quæ inclusiva est Virginis intra peccatum originale, hæc clausula:* SED NEC ETIAM IN IPSO INSTANTI INFVSIONIS, *ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret? Illa quia est in favorem Virginis, licet nullum inveniatur fundamentum, fuit intrusa: & hæc quia est contra*

*contra eius puritatem, tot fundamentis demonstratis in Sole veritatis non fuit addita: Quæ sunt in favorem Dei Matris, imò & doctrinæ S. Thomæ, non habent aliam solutionem nisi dicere: sunt addita, & clausa est ianua: & quæ sunt contra, non sunt addita, licet tot tantaque inveniantur fundamenta, & exempla evidentia ac testimonia.* Sic ille. Principaliora quæ noto ex his verbis Patris de Alva sunt hæc duo. Primum quod dicat, nos sine fundamento dicere quod clausula illa: *Excipitur purissima*, &c. *Virgo Maria*, ab aliquo falsario fuerit intrusa in S. Thomam. Secundùm quod dicat constare per fundamenta evidentia, ac testimonia allata in Sole veritatis, quod nos in tertium Sententiarum intruserimus verba illa: *Sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur ne culpam originalem incurreret.* Quod attinet ad primum: non oportet id de novo iterùm referre, superiùs enim fundamentum ex quo dicimus illam exceptivam fuisse intrusam intra S. Thomam, Patri de Alva proposuimus: vel si velit ut ei hic refricemus memoriam, hic iterùm uno verbo proponimus. Fundamentum igitur nostrum est, quod uti vidimus ex ipsomet Patre de Alva, exceptiva illa in antiquioribus editionibus non habeatur. Quod spectat ad secundum, dico resolutoriè, in hac parte Patrem de Alva manifestum agere impostorem, paratus subire pœnam talionis, nisi falsitatis eum convicero. Dicis igitur Pater, te demonstrare in tuo Sole veritatis, quod nos verba illa in 3. Sent. intruserimus: & ego dico hoc dictum esse manifestam imposturam. Quod spectat ad tuum dictum, non est quod illud hic iterùm probes: probasti enim in Sole tuo veritatis quod verba illa intruserit Noster Pater Bartholomæus Spina Magister quondam Sacri Palatij, dum ad annum 1534. reimprimi fecit Opera D. Thomæ:

unde solum meum dictum restat probandum : quod probo hoc irrefragabili argumento. Si aliquis prædicta verba in Sanctum Thomam intruserit is fuit Bartholomæus Spina : sed dicere quod ipse intruserit est manifesta impostura : igitur &c. Major ipsissima tua est Pater Reverende in prima editione tui Solis veritatis fol. 808. & 809. uti refert tua Trutina Mariana. Et minor probatur. Bartholomæus Spina non potuit intrusisse si inveniantur prædicta verba in manuscriptis ducentis & amplius annis antequam Spina nasceretur ; sed sic est quod taliter inveniantur : igitur &c. Minor probatur ex hoc authentice instrumento authorizato per Notarium publicum ne Pater de Alva recalcitraret.

*Extractum ex Libro manuscripto in Parcameno, reperto in Bibliotheca Abbatiæ Parcensis prope Lovanium, cujus titulus est : Incipit Tractatus Fratris Thomæ de Aquino Ordinis FF. Prædicatorum; cujus finis : Explicit Tractatus Fratris Thomæ super tertium Sententiarum. Et ibidem consequenter dicitur: Hic liber consummatus est anno Domini* M. CC. LXXXII. *in Vigilia B. Andreæ Apostoli quem scribi fecit Fr. VVilhelmus de Libbeke ad suam & communem Fratrum Ecclesiæ de Parco utilitatem. In quo libro habentur inter cætera dist. 3. art. 3. ad quæst. 2. hæc sequentia.*

*Ad secundam quæstionem dicendum, quod sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ nondum capax erat. Sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim &c.*

Collatione facta cum originali libro concordat.

Et signatum erat

J. VAN DORMAEL Not. Publ.

Vides

Vides Pater Reverende, quod sic se res habeat, quod videlicet prædicta verba, habeantur in manuscriptis, ducentis & amplius annis ante Spinam? Spina enim ut apud te in confesso est, vixit post annum 1500. & liber ex quo jam citata verba extracta sunt, scriptus est anno 1282. id est, octo vel novem annis post mortem D. Thomæ. Quomodò ergò verba illa intruserit ipse Spina? Ad hæc possemus & alia manuscripta allegare ex Abbatiâ Dunensi Brugis, scripta ante canonizationem D. Thomæ, quod patet ex eo, quòd tantùm in ijs dicatur *Frater Thomas*: item antiquam editionem apud nos Lovanij existentem, impressam anno 1501. Sed supersedemus, ne nimis, id est, tripliciter confundamus faciem tuam. Cæterùm scias quod ex hoc unico, quia nimis exorbitanti & perniciosо errore, apud nos saltem, omnem fidem tuam perdideris: nec tu solum, sed & Auctor Trutinæ Marianæ cum quo fortassis non ponis in numero: (in qua auctoritates Sanctorum Patrum ac Beatorum Virorum, bene expensæ ac ponderatæ, fictæ prorsùs à nostris, & somniatæ finguntur) cum & ipse pro se referat ex alio fol. 158. suæ Trutinæ, quod eadem verba in idem 3. Sent. intruserit P. Thomas Nerius, qui tamen teste Nodo tuo indissolubili folio 10. adhuc vixit ad annum 1574.

Qui hæc legisti, vide quam fidem adhibeas præcedentibus, & subsequentibus eorumdem dictis: illi præcipuè Patris de Alva, quod habet folio 521 in hunc modum. *Nihil affirmamus nisi quod demonstramus, nihil dicimus nisi quod ostendimus, nihil persuadere nitimur nisi quod constat ex instrumentis authenticis.* Ex supra posito instrumento authentico, manet demonstratum, ostensum, & persuasum, quod in hoc dicto suo Pater de Alva lapsus sit. Nec me-

lioris casus est, dum fol. 596. & 597. dicit. *Et ijdemmet qui ista fatentur, pariter clamant & reclamant, fuisse impossibile, quod in utero S. Annæ, & tempore animationis virginis, introducta fuerit in natura humana hæc eadem exemptio: & quæ in seipsis modò experiuntur, negant tempori, in quo ipsi non fuerunt præsentes: negant Dei Matri, & negant omnium creatrici omnipotentiæ* &c. Quis de Ordine FF. Prædicatorum clamavit, quid dico clamavit? imò vel mussitando dixit, quod fuerit impossibile, quod B. Virgo à peccato originali eximeretur? Quis hujusmodi exemptionem negavit unquam *omnium creatrici omnipotentiæ*? Quod in hoc dicto tuo injustè nos blasphemos facias (negare enim hujusmodi exemptionis possibilitatem divinæ omnipotentiæ, blasphemum est) retractationem dicti tui exigimus, & honoris nostri restitutionem.

Fol. 602. dicit: *En Nodus. Patres illi doctissimi Romani electi à tota religione, & Summo Pontifice Pio V, affirmant: quod si S. Thomas viveret, multa corrigeret & emendaret in Operibus suis, & cum hac sola præsumpta, ipsi de facto multa & plura correxerunt & emendarunt.* In hoc dicto suo Pater de Alva iterùm imponit: nusquam enim vel Pius V, aut Patres illi Romani, vel per somnium hoc affirmarunt, uti enim supra demonstravimus, verba illa eorum, *Quos videlicet vel ipse Commentator vivens emendaverat, & si viveret emendasset*, dicta sunt de Cajetano, qui Commentatoris nomine intelligendus venit. Undè nunquam ipsi usi sunt illa præsumptâ temeritate, ut vel unum iota immutarent genuinæ litteræ D. Thomæ ex præsumptione, quod si Sanctus Thomas viveret illud idem immutaret; sed solùm expunxerunt è tritico sanæ doctrinæ D. Thomæ, introducta lolia, quæ agro Thomistico superseminaverat inimicus homo. Ita testantur in supra allegata sæpiùs præfatione Patres Romani.

Ne

Ne fiat ex his contra me consequentia, ergò sententia de immaculata Conceptione, superseminata expositioni S. Thomæ in Epistolis Pauli; item ejus Opusculo octavo, &c. reputatur tamquam lolium. Protestor enim contra hujusmodi consequentiam, quam nec intendo, nec velim fieri, ubique memor à me factæ admonitionis, quod videlicet nec in minimo velim tangere sententiam Conceptionis, absit quod eam lolium dicam, sanæ & Catholicæ doctrinæ superseminatum.

## NODUS OCTAVUS.

Complectitur hic Nodus approbationem doctrinæ D. Thomæ factam per Beatissimam Virginem Mariam. Uti enim refertur in scriptoribus, potissimum Ordinis nostri, Beata Virgo S. Thomam de vitæ ac scientiæ integritate per visionem edocuit.

Et hæc quidem veritas hujus revelationis non leve fundamentum sumit ex eo quod juxta ipsummet Patrem de Alva fol. 605. omnes historiæ antiquæ, dicant Beatissimam Virginem familiariter sæpè locutam fuisse S. Thomæ. Ex eo etiam quod S. Vinc. Ferrerius in sermone pro S. Thoma, testetur quod Diva Virgo apud filium suum semel rogaverit, ut Sancto Thomæ, cui se cum eodem filio suo quem gestabat in brachijs conspicuam reddiderat, aliquod dubium declararet. Hujusmodi enim familiaritatem eo usque processisse non infundatè dici potest, ut cum videret tantam Beatæ Virginis erga se dignationem, & tantam pro doctrina sua sollicitudinem, ut ea pro eo filium suum rogaret: rogaverit & ipse Beatissi-

mam Virginem ſuper ſtatu ſuo & doctrina, cum vel maximè vix ullus è Sanctis umquam ei apparuerit, quem ſuper eis non conſuluerit, ut patet in Chriſto crucifixo, Apoſtolis Petro & Paulo, ac in Beatæ memoriæ Fratre Romano: quos omnes & ſuper aliquâ doctrinâ conſuluit, & bene ſcriptam intellexit. Hæc ejuſdem approbationis veritas videtur ſubſiſtere ex eo quod referatur in antiquioribus noſtri Ordinis Breviarijs; imò & in ipſo Miſſali Sacroſancti Miſſæ ſacrificij, ubi in præfatione pro Feſto D. Thomæ „habentur hæc ſequentia. O certè præclariſſimam at„que excellentiſſimam doctrinam: cui veritatis præ„cones glorioſiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli tui, & „inclita ſemper Virgo Maria cum filio ſuo Domino „noſtro Jeſu Chriſto pro mundi ſalute crucifixo, & „univerſalis atque Apoſtolica Eccleſia teſtimonium „perhibent veritatis. Enim verò in Miſſali, & præcipuè „in præfatione ita proximâ Sacroſancto canoni, in quo nec unum verbum erroneum eſt, ſine metu præſentis maledictionis non auderet quãtumcumque temerarius, intrudere fabulas & mendacia à ſe ficta. Videtur tertio piè credibilis ex continua traditione à ducentis annis numquam interrupta. His tamen omnibus non obſtantibus, & hanc quoque approbationem Pater de Alva prorsùs fictam dicit & ſomniatam, & rursùs quidem à Vincentio Bandello Ordinis noſtri Generali. Judicium profectò durum reſtat Pater Reverende in noviſſimo die inter te & Bandellum, & væ tibi ſi cauſæ excideris vel defeceris in probatione, non enim leve eſt virum Religioſiſſimi uſque nunc nominis, ita infamiter continuò diffamare. At qui cum fundamento diffamat alterum, & juſtâ ſuperveniente ratione, ridebit (inquies) in noviſſimo die. Non inficior. Aſt quodnam fundamentum diffamationis tuæ, ut veraciter dicere poſſis, appro-

approbationem illam D. Virginis finxit Bandellus? Nullum aliud habes, quam quod ipse primus sit, qui approbationem illam promulgavit? Et quidem, priusquam illud attingamus, liceat mihi à te inquirere, quo fine hujusmodi approbatione, doctrinam D. Thomæ destituere coneris. Enim vero etsi quidam scrupulus videretur in ea relucere, an ille deducendus esset in publicum in minorationem Sancti? Profectò non æquo satis, sed invidioso in S. Thomam animo, esse convinceris Pater Reverende. Quo enim titulo depressionem quæris doctrinæ Angelicæ? Non alio profectò, nisi quod imagineris, quod authoritas S. Thomæ remoretur fortassis opinionis seu sententiæ tuæ definitionem. Sic enim loqueris in epistola tua dedicatoria ad SS. Dominum Alexandrum VII. *Nodum inexplicabilem pre manibus habet* ( sanctitas vestra ) *varijs adstructum vinculis, qui nec ratione nec visu percipi potest, quo currus sententie pie ligatus manet, ne cum alijs rotet in fidei throno.* Et quis sit iste nodus manifestas dum ad ly *Nodus* addis hoc epiteton *solide doctrine Thomistice*. Equidem quod optes deveniri ad definitionem alterutrius sententiæ, non te culpavero, idipsum enim nos ex animo optamus. Cæterum quod ad illum finem, medium eligas depressionem sancti, & diminutionem authoritatis doctrinæ ejus, & te putes sacrificium præstare Deo, si alicujus præeminentiæ gemmam, ex ornato gemmis, S.Thomæ habitu possis suffurari, nec proportionatum est nec religiosum. Sed quomodò suffurari? Numquid cum fundamento (inquies) ostendo prærogativam illam de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ per B. Virginem, D. Thomæ non competere? Usque nunc id non fecisti. Uti enim diximus, & patet ex te fol. 607. nullum aliud habes quam quod Bandellus primus sit qui approbationem illam

promulgavit. Ad hæc quid consequentiæ est, ut aliquis dicatur id finxisse, quod primus promulgavit? Et siquidem legitima sit illa consequentia contra Bandellum, & contra te necesse est ut sit legitima, unde & secundum proprium judicium, in pluribus manifestus impostor es, inaudita enim hactenus in hoc Nodo tuo & per consequens primus promulgasti. Sed non quicumque (inquies) qui primus aliquid promulgat, convincitur illud finxisse, sed si talis fuerit, qui reperitur etiam impostor in alijs pluribus. Præterquam quod argumento instetur contra te, ubi enim vidimus manifestus in pluribus (si non in omnibus impostor es, & multa primus in lucem extraxisti, tibi onus incumbit probandi, quod Bandellus noster in pluribus alijs inveniatur impostor. Scio quod in hoc Nodo tuo indissolubili, imposueris ipsi fictionem multorum: sed impositionem tuam non aliter umquam probasti, quam quod ille fuerit primus qui multa illa protraxerit in lucem. Ut probares quod finxerit authoritatem seu elogium Innocentij VI. pro majori usus es hac propositione. Qui hanc authoritatem seu elogium S. Thomæ prius introduxit in litteratura Ecclesiastica fuit Bandellus, fol. 375. Ut ostenderes quod fabricasset Epistolam Universitatis Parisiensis, pro medio assumpsisti, quod ante Bandellum istius litteræ nulla haberetur memoria vel notitia fol. 487. Et ecce iterum ut probes approbationem D. Virginis esse fictam nullum aliud fundamentum allegas, quam quod Bandellus sit primus qui eam promulgavit. Usque adeone esse primum promulgatorem, est agere impostorem? Dices iterum quod sit agere impostorem, in eo qui in pluribus alijs noscitur imposuisse. Verum ubi sunt illa plura in quibus Bandellus imposuisse cognoscitur? Authoritas, inquies, Innocentij VI. & Epistola Universitatis.

versitatis. Et unde noscitur quod in ijs imposuerit? Quia primus, inquies, fuit qui ea promulgavit. Malè argumentaris Lector Jubilate, & in circuitu ambulas, probas enim eum agere impostorem, quod primus approbationem D. Virginis promulgaverit, & aliundè noscatur imposuisse in alijs: & iterum probas eum imposuisse in alijs, quod primus fuerit qui plura alia promulgavit. Quamdiu vero in circuitu illo ambulas, nihil probas; nec vel in minimo ostendis fuisse Bandellum impostorem. Quod si non ostendas, maneat approbatio ista facta per D. Virginem ut legitima & subsistens, licet (quod tamen non admittimus, sed transire permittimus) licet inquam Bandellus fuisset primus qui eam promulgasset. Nec tamen propter ipsius solam relationem ut legitima admittatur, sed etiam propter relationem aliorum virorum omni fide dignorum; eamdem approbationem referentium, ut sunt P.F. Seraphinus Capponi à Porrecta, Didacus Nugno & alij qui in relatione sua, secuti non sunt relationem Bandelli: quod ex eo convincitur, quod uterque referat hujusmodi approbationem D. Virginis à Julio III. fuisse approbatam: cujus Bandellus nec meminit, nec potuit meminisse. Ex qua Julij approbatione quamvis tantum relatâ, quia tamen à viris fide dignis proposita, non parum etiam robaratur, prædicta D. Virginis approbatio. Hæc de hoc Nodo VIII iterum in communi. Singularia ejus sunt hæc.

Fol. 610. dicit. Ex hac auctoritate duo comprobata manent ut vera. Primum D. Thomam apud omnes Doctores antiquos, ante suum canonizationem ac etiam post, fuisse *Doctorem communem*. Quomodo autem ingressus fuerit ad possessionem & ascenderit ad titulum *Angelici*, aliquando fortè propalabitur. Quoad primum discernat lector, utrum in verbis

illis Pater de Alva non intendat de S. Thoma intelligi, quod fuerit *Doctor communis*, id est, de communi plebe: non videtur enim inadvertenter dicere, *quod fuerit Doctor communis*, loco quod diceret quod communis fuerit nuncupatus. Antequam vero quisquam hoc discernat, plus inspiciat rectum aliàs Patris de Alva erga S. Thomam animum, quam nudam ejus litteram, pro ut jacet. Quoad secundum, ne tempus terat inquirendo quomodo S. Thomas ingressus sit ad possessionem *Angelici*: solum legat citata à se verba fol. 650. ubi Pius V. ex Bulla quæ incipit: *mirabilis Deus*, inter cætera sic dicit: *Ex quo sanctorum laudabili numero, qui Catholicam veritatem corde, opere, & ore roborarunt*, ANGELICI *Doctoris S. Thomæ de Aquino Ordinis FF. Prædicatorum in cœlum assumptio multis est comprobata miraculis &c.* Legat & apud seipsum fol. 679. verba Clementis VIII. ex Brevi ejusdem Pontificis, ad Proregem & civitatem Neapolitanam, ubi sic inquit. *Piè, prudenterque cogitatis de novo civitatis Patrono adsciscendo, Cive vestro* ANGELICO *divinæ voluntatis*. INTERPRETE *Thoma Aquinate*. A quocumque *Angelici* nomen D. Thomæ impositum sit, nunc inter cæteros habetur à Duobus Pontificibus ad minus, ut D. Thomæ proprium, rati habitum & approbatum.

Fol. 620. Ad hoc quod S. Antoninus dicit, 1. part. Summæ tit. 8. circa finem, quod S. Catharina Senensis habuit revelationem de contrario. Inquirit ubi illa revelatio fuerit approbata? Et Respondet ipse. *In conventu Bernensi, ab illa virgine Magistro Novitiorum, habente pedes longos.* Itáne verò sic respondes Pontifici S. Antonino Pater Reverende? Quod in conventu illo Bernensi, aliqua fortassis historia contigerit non adeò religiosa, ab aliquo Magistro Novitiorum, qui volebat fingere aliquod

miracu-

miraculum, án propterea revelatio, facta S. Catharinæ Senensi, & à S. Antonino relata, ad Conventum illum Bernensem, & ad magistrum illum Noviciorum pro approbatione per te demandanda erat? Scias Pater, quod propter hoc contumeliosum & sanctis injuriosum dictum tuum, non subterfugies judicium Dei.

Fol. 613. Nostrum Generalem Turcum per scomma vocat Magnum Turcum, dicens. *Iuxta Hispanicum proverbium loquendo : non solvent illos* ( id est Nodos) *Galvan, nec* MAGNUS TURCUS.

Eodem fol. 623, dicit. *Ex omnibus supra relatis unum credo & recipio, & alterum, nec recipere nec credere volo. Credo & recipio, quod Sacratissima Virgo Maria pietatis mater, approbaverit doctrinam & conceptum mentis S. Thomæ, dicendo esse purum, sanctum, sine errore aut defectu. Sed nolo recipere, nec credere, quod S. Thomas dixerit conceptum ventris ipsius Dei Matris, fuisse impurum, maculatum, cum errore, ac defectu &c. quia nimis durum videtur, imprudens, & infidele quod mater laudet filium, Domina servum, & magistra discipulum: & in eadem re, materia, & puncto, filius, servus, ac discipulus diffamet matrem suam, dominam ac Magistram.*

Ne credat, quod non vult credere, sed sciat, quod vellet ignorare : legat S. Thomam in 3. sent. dist. 3. nec est opus ut vadat ad Abbatiam Parcensem ut illuc visitet manuscriptum ab Anno 1282. Sed solum retrogrediatur in hoc libello, usque ad fol. 132. illic enim inveniet autenticum ipsius extractum. Hoc quoad primam clausulam contentam in prædictis verbis Patris de Alva. Secundam clausulam quam plus pondero est hæc. *Nimis durum videtur, imprudens, & infidele, quod Mater laudat Filium &c. Domina Servum, & Magistra Discipulum, & in eadem re materia, &*

*puncto, Filius, Servus, ac Discipulus diffamet Matrem, Dominam ac Magistram.* Igitur secundum te Pater Reverende, dicere quod conceptus ventris seu conceptio D. Virginis fuerit maculata, est Mariam diffamare. Igitur & secundum te quicumque hoc dicunt, Mariam diffamant. Igitur & secundum te peccant mortaliter: nullus enim Mariam diffamare potest sine peccato mortali in adeò magna, de qua agitur, materia.

Igitur & secundum me, imò potiùs secundùm Bullam Alexandri VII. excommunicatus, tu es excommunicatione latæ sententiæ. Igitur juxta eamdem Bullam ejusdem Papæ Alexandri; concionandi, publicè legendi seu docendi, & interpretandi Facultate, ac voce activâ & passivâ, in quibuscumque electionibus absque aliqua requisita declaratione privatus es &c. Has enim universas pœnas Alexander VII. inflixit ijs qui dicerent peccare eos mortaliter, qui contrariam tenerent sententiam, quod tu dicis, dum eos dicis Mariam Virginem diffamare.

## NODUS NONUS.

Nodus hic perstringit approbationem Doctrinæ D. Thomæ factam secundum nos à Concilio Tridentino. Priusquam vero proponamus, Patris de Alva, circa illam judicium: operæ pretium fuerit, fundamenta hujus approbationis Lectori proponere, ut ipse juxta ea judicet, judicium justum. In hoc igitur putamus nos approbatam, non quidem explicitè sed implicitè Doctrinam D. Thomæ seu potius plurimum commendatam: primò quod plurima decreta Concilij ex doctrina Angelici

Doctoris sint deprompta in fidei explicationem & hæresis extirpationem: Cujus rei testis fidelissimus est Pius V. in citanda inferius Bulla, quâ Sanctum Thomam in Ecclesiæ Doctorem adlegit, ubi inter cætera sic loquitur. *Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factam est, ut Angelici Doctoris vi & veritate doctrine, ex eo tempore quo cælestibus civibus adscriptus est, multe que deinceps exorte sunt hæreses, confusæ & convictæ disparentur: quod & antea sæpe, & liquido nuper in Sacris Concilij Tridentini decretis apparuit.* Secundo quod vix ullius doctrinæ in eodem Concilio adeò fuerit acclamatum, nec alterius cujusquam doctrinæ Concilij Patres tantum detulerint, quam doctrinæ D. Thomæ. Festivæ acclamationis testis est Cardinalis Baronius in Notis suis ad Romanum Martyrologium, die 7. Martij. in D. Thomæ præconium sic erumpens. *Vix ullus enarrare sufficeret quod vir sanctissimus atque doctissimus Theologorum præconijs celebretur, quantumque illius* ILLIBATÆ DOCTRINÆ, (hæc est doctrina quam Pater de Alva dicit scatere erroribus gravissimis) *à Sanctis Patribus in sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino fuerit acclamatum.* Hujusce quoque acclamationis, non vulgaris testificatio est, quod in Angelici Doctoris laudem, festivam orationem haberi voluerit eadem sacro-sancta Synodus, quod vix alijs Maximis Ecclesiæ Doctoribus, imò nec ipsi Augustino concessum fuit. Honoris verò & venerationis, quam Sacri Concilij Patres Doctori Angelico detulerunt, testis est Sessio 21. ejusdem Concilij, ex qua patuit universam illam œcumenicam Synodum, quasi ab unius Thomæ ore pependisse. Agebatur in ea de decernendo quod Christus Dominus discipulos in nocte cœnæ Sacerdotes instituisset illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem:* & erat negotium jam ferè decisum, & præstò

præſto ſuffragia, & res in concordia: cùm ecce quidam Epiſcopus aſſurgens ex Patrum conceſſu in eam vocem erupit, videri ſibi, quòd S. Thomas 3. p. q. 63. art. 5. ad 3. determinationi illi contrairet. Quid facerenr Patres determinatione jam conceptâ, & fermè jam datâ? Votare auſi non ſunt, ſed ſuum quilibet ſuſpendit ſuffragium, donec pars 3. Summæ Theologiæ, Theologorum Principis adferretur. Adfertur liber, allegatus locus diſcutitur. Sed numquid vel ſic votarunt? Cùm in ipſius intelligentia, paululùm hæſitaret communis Patrum intellectus, tantùm injecit ponderis in Concilij lancem ſola Sancti Thomæ authoritas adhuc dubitata, ut Seſſionem ſolvere maluerit re ſeu definitione infectâ, quam ſtante dubio de ſenſu Doctoris Angelici in materia fidei quidquam reſolvere: quam Seſſione alterâ, id eſt 22. tunc tantùm reſolvit, poſtquam cognoverat, nihil in præfata determinatione contra D. Thomæ ſententiam definiri. Hujus rei ſeriem narrat ocularis iſque graviſſimus teſtis Didacus de Paiva Luſitanus in tom. 2. Serm. de Sanctis, Serm. 2. de B. Thoma. Hæc ſunt fundamenta, hæ rationes propter quas nos dicimus, doctrinam D. Thomæ à Concilio Triden. timo mirificè habitam in pretio, ad oculum ſupra modum commendatam, & ſi non voce, facto ipſo approbatã. Numquid & tu ſic judicas, qui hęc legis? Scio quod ſic judices, ſi alter fueris à Patre de Alva. Quoad ipsũ enim (neſcio quo invidię ſpiritu, ex alio enim fundo provenire non poteſt) vel in ipſo Nodi titulo, quamcumq; Concilij Trid. approbationẽ dicit à nobis *fabricatam*. Quouſque Pater non patieris, Solem ſicut proloquio dicitur, ſplendere in aquis? Quouſque non patieris, Thomam poſſidere honorum titulis ſibi datis? An quia Thomas exaltatur, Scotum imaginaris humiliari? At non in eo Nodus latet. Sed

quod

quod tantum putes intento tuo deperire, quantum accreverit Angelici Doctoris gloriæ. Putem quod velles Thomam non fuisse, ut ejus doctrina & authoritas Pontificem contra voluntatẽ tuam non detinerent. Verum, tibi somnia fingis; licet enim maxima sit apud hodiernum etiam quem Deus beet Pontificem, uti postea patebit ex brevi ejusdem transmisso ad Universitatem Lovaniensem, S. Thomæ authoritas: nec tanta tamen est, vel umquam erit, ut propter ipsam, (si ea Ecclesiæ expedierit, vel si Spiritus spiraverit,) intenta à te definitio differatur. Cæterum digradiamur ad alia, ne dicta veritas odium pariat: & videamus quomodo præjactis his fundamentis, iterum illi contradicat. Et quidem quoad primum quod videlicet doctrina D. Thomæ implicite saltem videatur approbata, ex eo quod plerique sacri canones ex ea desumpti sint, ita ut vix aliquod, imo fortassis nihil determinarit Concilium inconsulto Thoma fol. 620. sic eludit. *Cum Sanctus Thomas in sua Summa Theologiæ reduxisset ad compendium, & congregasset in unum omnes veritates quas Petrus Lombardus Magister sententiarũ extraxit è Sacris Patribus, & quas postea ad scholasticam normam reduxerunt antiqui Theologi Hugo & Richardus de S. Victore, Albertus Magnus, Alexander de Ales &c. nec in Concilio, nec extra Concilium poterit aliquid verè & Catholicè determinari nisi consulatur D. Thomas.* Ecce quomodo hic S. Thomam, ne doctrina ejus habeat illam prærogativam quod ex ea desumpti sint Sacrosancti Tridentini Concilij Canones, Compilatorem solum faciat & compendiarium veritatum contentarum in libris Sententiarum. Petri. Lombardi. Erras Pater dum Summam Theologicam D. Thomæ compendium facis, ut videlicet sit quædam compilatio doctrinæ alienæ. Enim vero lege S. Antoninum

3. p. hist. tit 23. cap. 7. §. 5. & ibi invenies hæc verba. *Tantum sibi Deus gratiam in labijs eius effudit in doctrina, ut Scholares in stuporem adduceret, & ad studium animaret. Erat enim in legendo novos articulos adinveniens, novumque modum determinandi inveniens, & novas producens in determinationibus rationes, ut nemo ipsum audiens, dubitaret quin ipsum Deus novi luminis radijs illustrasset.* Hoccine tantum est agere compilatorem seu compendiarium doctrinæ alienæ? sed ignoscimus Patri de Alva, neque enim ipse hoc dixit, sed excæcans eum invidia, quæ ferre non poterat quod hic gloriæ titulus, esset proprius Sancti Thomæ.

Quid verò, quod plerique illi Canones non solùm quoad sensum, sed quoad expressos terminos ex Sancto Thomâ desumpti sint? Et hoc eludit fol. 637. dicens: *Quasi termini Theologici ac fidei essent diversi in scriptis S. Thomæ, & aliorum Scholasticorum.* Ubique Pater de Alva ipsissimus est, Doctoris Angelici ejusque gloriæ ubique inverecundus & audax æmulator.

Quoad secundum, quod videlicet summè, illibatæ doctrinæ S. Thomæ, à Concilij Patribus fuerit acclamatum, non obstante Cardinalis Baronij irrefragabili testimonio, eâdem inverecundiâ mirabiliter sugillat. Atque ut illud præstare videatur aliquali cum fundamento, nihil tangens, quod de Sancto Thoma Concilium Tridentinum Orationem festivam haberi voluerit, assumit verba Doctorum Salmanticensium in Nodo suo indissolubili, fol. 339. sic loquentium: *Quid mirum si Accademia acclamet S. Thomæ, eodem modo quo Sanctissimi illius Concilij Patres illi acclamaverunt per os Concionatoris, qui in Festo S. Thomæ ad eosdem Concionem habuit, dicens:* Non potuit S. Tho-„mas Ecclesiasticis interesse Concilijs, morte præve-„tus. Verum ecce superstes, atque in æternum victu-

rus

„rus nobis adest; bona sua, spiritualis doctrinæ the„sauros hæreditario jure nobis delegavit. Nulla „proinde ab ejus felici transitu Concilia, sine San„cto Doctore celebrata sunt: ut enim de cæteris „sileam, quod audivimus, quod vidimus, quod ma„nibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad „laudem ejus testemur? Vestra comitia perpendite. „Ex plurimo, eoque honorabili Doctorum cætu, quo„tuscumque consultor accedit, qui D. Thomæ au„thoritate, veluti splendenti gemmâ, suam senten„tiam non exornet? at in Consultissimo Patrum „recessu, Doctor hic sententiam rogatus frequen„tissimè censet, ad quem ut ad lydium lapidem, si „quid ambiguitatis aut controversiæ fuerit exortum, „communibus votis referendum existimetis, & qui „ cum sui placiti patronum obtinuerit, incertam ju„diciorum aleam non sit habiturus, quin secundum eum sententia ferenda sit. Atque ad hæc verba sic loquitur Pater de Alva fol. 628. circa finem: *Multò maiora poterat Concionator ille dicere, non tamen exindè sequeretur, quod sanctissimi illius Concilij Patres, per os illius Concionatoris acclamarunt & approbarunt omnem doctrinam S. Thomæ. Nam Concilium audiebat & non loquebatur, nec determinabat per os illius Concionatoris.* Ego verò, quod per os hujus Concionatoris doctrinæ S. Thomæ non vulgariter fuerit acclamatum sic probo. Illa quæ Concionator ille dixit in concessu Patrum vel fuerunt falsa, vel vera: Falsa utique fuisse, dici non potest, pleraque enim ex illis, tangebant eos qui orationi intererant. Ergo fuerunt vera: quod si vera, igitur per os ea dicentis Concilium Sancto Thomæ acclamavit: mirifica enim erant quæ de Thoma dicebantur: nihil enim nisi Concilij organum fuit Concionator ille, qui de Concilij jussu, & mandato peroravit: in cujus ore, Concilij Patres

verba sua posuisse censendi sunt; eo ipso, quo propriam cujusque personam tangentia, ut quod *nullus eorum, sententiam suam S. Thomæ authoritate, quasi splendente gemmâ non exornaret, vel doctrina eius quasi lydio lapide non uteretur*, certus, secundum eam judicium & sententiam ferendam: eo ipso, inquam, quo hæc & similia sine ullâ contradictione, imò verò gestientibus animis audierunt. Et verò non opus erat verbis, non opus quod loqueretur Concilium, ut acclaclamare censeretur illibatæ D. Thomæ doctrinæ. Habet enim & anima internas suas acclamationes & adnutus, quos indubiè ad extra per externa signa erupisse ex Auditorum animis, moraliter certum est: cùm de communi Concilij Magistro, ipsi tamquam devotissimi D. Thomæ discipuli tot laudes, de quibus ipsimet experimentales testes erant, audiebant proferri. Neque enim in minori pretio Thomas fuit apud Patres Concilij, quàm sit Scotus apud Scotistas: in cuius laudes si quis sublimiter linguam suam explicaret, profectò cor omnium Scotistarum audientium, ardens fieret in eis, dum alter ille loqueretur, & vel per ipsos oculos internus applausus & festiva erga Scotum acclamatio, se manifestaret. Maneat proindè quod juxta Salmanticenses Doctores, Concilij Tridentini Patres per os Concionatoris istius, doctrinæ S. Thomæ acclamaverint: nec ita tamen intelligatur, quasi non acclamassent nisi per os ipsius, & solum eo tempore quo perorabat, enim vero acclamaverunt durante etiam toto Concilio, quamvis non ita vocibus quam factis, cum in suis determinationibus, ut ante diximus, doctrinâ Angelicâ usi sint ut lydio lapide; sine cujus experimento, in materia fidei nihil definirent, absit quod eidem contrairent. Et huic quidem, suprà relata historia testimonium perhibet veritati, dum

vel solum dubium de sensu D. Thomæ, Sessionem integram suspendit, & retraxit suffragia fermè jam data. Cæterùm ad hoc Pater de Alva, gloriam iterum S. Thomæ ferre non valens fol. 627. *Sed idem* (inquit) *esset quod aliquis Episcopus diceret doctrinam illam de institutione sacerdotum, esse contra mentem S. Augustini, S. Ambrosij, S. Hilarij, Chrysostomi, Leonis &c. eodem modo suspenderetur Sessio illa, quia Patres Concilij non determinant, nisi maturè perspecta mente omnium Sanctorum.* Nos verò hoc dictum ejus non profundè perscrutantes, ad aliud respondemus. Nescire nos quid Patres Concilij respectu aliorum Doctorum fuissent facturi, nec circa hoc necesse est nos dare judicium; dum illud jam factum, respectu S. Thomæ, videamus. Et hoc ipsum est quod nos in S. Doctoris gloriam, tanquam rem miram prædicamus, similiter facturi si id alijs Ecclesiæ Doctoribus obvenisset. Utrum vero in hoc non plus sapiamus quam oporteat sapere, sed sapiamus ad sobrietatem, non judicet Pater de Alva, quia invidiæ passione præventus, sed quicumque justus rerum æstimator, dum nos, procedendi assumptam methodum sequendo, alia quædam proponimus in hoc Nodo annotanda. Igitur.

Fol. 618. dicit de Patre illo qui in Concilio Trident. habuit Orationē in Festo D. Thom. de qua suprà *Sufficit nunc scire, fuisse ex Ordine Prædicatorum, ac quidam communis frater.* Deberet dicere *communem fratrem*, secundum bonam sintaxim. Ego verò dico non fuisse communem fratrem. Fuit enim ille Sacræ Theologiæ quidam Doctor, vocatus Ioannes Gallo; ex Ordine quidem nostro, sed à Rege Hispaniarum missus ad Concilium, & quidem (ex quo plus virum æstimes) habens in Socium, alterum S.T. Magistrum, ut patet ex actis Concilij Tridentini. Ex quo manifestè palpatur, fuisse eum nominatum vi-

 rum,

rum, & celebrem, nisi voluerit quis dicere quod Rex Catholicus ad Concilium miserit tamquam Regni sui celebriores Theologos, Fratres communes. Et siquidem tales communes sint, quomodò, vel quo digno satis nomine vocabimus P. de Alva? Nescirem profectò, & si nominare eum deberem, angerer ne peccarem vel per excessum, si v. g. Reverendissimum eum diceerem, vel per defectum, si dumtaxat admodum Reverendum. Cæterùm cùm seipsum in frontispicio libri qualificarit, non est opus ut de qualificatione seu vocabulis ejus simus soliciti. Ipse igitur non est communis frater. Sed Petrus est nomen ejus, Petrus dico de Alva & Astorga: & si quæris ejus titulos, in eodem frontispicio libri sui seipsum intitulat: LECTOREM IVBILATVM, SVPREMÆ INQVISITIONIS QVALIFICATOREM, TOTIVS RELIGIONIS MINORVM PATREM, ET EXPROCVRATOREM GENERALEM IN ROMANA CVRIA (si & Patriam quæris) PROVINCIÆ LIMENSIS FILIVM &c. In his omnibus nominibus nihil commune respondet, nisi quod dicatur Petrus, hoc enim nomen commune est: reliqua nomina extraordinaria sunt, quæ tamen nec ipsum extrahant ex ratione communis Fratris. Si Pater Ioannes Gallo, de quo suprà, simplex Frater nuncupandus sit. Non enim minoris æstimationis est, esse S. Theol. Doctorem selectum, ex universis Academijs Hispaniæ, & à Rege Potentissimo transmissum ad Concilium Tridentinum, quam esse Lectorem Jubilatum, supremæ Inquisitionis Qualificatorem &c.

Fol. 629. dicit hæc formalia verba: *Cùm omnia sint prorsùs gratis dicta, & sine ullo fundamento excogitata* (loquitur de aliquibus laudibus dictis de Sancto Thoma) *non erit protervia effectus illa negare, aut*

*in aliquo labefactare gloriam D. Thomæ, sed Religionis causam ostendere, dum omnibus unicuique quod suum est, justitiæ zelus tribuit, evellendo è tritico doctrinæ Catholicæ introducta lolia.* Primam horum verborum clausulam nolim tangere, quod per se pateat, non esse omnia vel gratis dicta, vel sine fundamento excogitata, quæ immediatè in laudem S. Thomæ, prædicta verba præcesserant. Cæterùm, scisne Pater Reverende, quis in te sit proterviæ effectus? Quod S. Thomæ, & veritati doctrinæ ejus tam imprudenter ubique detrahere audeas, sanctoque Doctori resistere. Iste est in te effectus proterviæ: uti enim loquitur S. Antonius tertiâ parte Hist. tit. 23. §. 5. *Dederat sibi*, id est, D. Thomæ, *veritas os & sapientiam, cui nullus adversarius resistere potuit, ut quis* (id est nisi quis) *veritatem contemnens quasi rabidus proterviret.* Et quis tu es qui labefactes gloriam S. Thomæ? An fortassis quod Doctor Angelicus non posuerit maculam in gloria sua, tu labem, tu maculam ponere niteris, in cælesti & splendissimo Sole nostro, quòd labefactare velis gloriam ejus? Sed labefactes quantum potueris, sublimior enim est Angeli nostri gloria, quàm ut labefactionibus tuis vel minimum offuscetur; splendidior Sol quem gestat in pectore, quàm ut dicteriorum tuorum nebulis obtenebretur. Imò ex tuis; & similibus non satis religiosis conatibus, lux Solis istius erit decursu temporis septupliciter: tanto enim plus intendetur, quantum tu, & tui similes eam conati fueritis remittere. Ut enim loquitur S. Antoninus 3. part. Hist. tit. 23. §. 5. *Doctrina S. Thomæ, quam pene totus Oriens & Occidens amplectitur & miratur, quasi lux splendens procedit, & crescit* (sed & crescet stridente livore & invidiâ) *usque ad perfectum diem.*

Fol. 630. Temerariè judicat, Doctores Salman-

ticenses de industria subticuisse nomen Oratoris Concilij Tridentini in Festo D. Thomæ; ut videlicet legentes crederent, quod non fuisset *simplex ille Frater* Joannes Gallo, ad Concilium missus à Rege Hispaniæ Theologus, sed insignis aliquis Concilij Pater omni exceptione major. Propter idem motivum, eâdem temeritate fol. 632. dicit eos mutasse ly *vobis adest*, in ly *nobis adest*. Quia *cum tacuissent* (inquit) *illius Concionatoris nomen, volebant illo pronomine comprehensivo* NOS, *indicare esse unum ex ilis Sanctissimis Patribus, qui in isto loquebatur sermone.* Ubi est Theologia tua Pater, imò potiùs ubi est conscientia tua? judicium enim temerarium, quale revera hoc tuum est, (nullum enim pro eo sufficiens habes, quia non allegas, fundamentum) mortale ex suo genere peccatum est. Sed in hac parte non te credidero multum scrupulosum, ut hunc Culicem vores temerarij judicij contra Doctores Salmanticenses, qui contra S. Thomam sæpè sæpiùs deglutis Camelum irreligiosæ contradictionis.

Fol. 635. Ubi fit mentio de Concilio Basiliensi. *Scio*, inquit, *quod quando Concilium illud decessit à suo capite Eugenio IV. propter illam præcipuam propositionem:* CONCILIUM EST SUPRA PAPAM: *Joannes de Turrecremata extraxit ex Sanctò Thoma, & tradidit Concilio omnia quæ habebat in suis operibus pro illa opinione.* Si in ulla propositione detraxisti sermonibus veritatis, & falsum locutus es, hoc contigit in hoc dicto tuo, *Turrecremata extraxit ex S. Thoma & tradidit Concilio omnia quæ habebat in suis operibus pro illa opinione,* CONCILIUM EST SUPRA PAPAM. Iterum dico, contra veritatem locutus es. Scio ego (nam omnes authoritates quas Turrecremata in Concilio Basiliensi extraxit ex S. Thoma, legi & relegi in ipsius Turrecrematæ operibus, existentibus apud nos

nos Lovanij) ſcio ego, & ſi mentior, cito contra me totum mundum; in confuſionem meam & opprobrium, quod nec unum verbum Turrecremata extraxerit ex Sancto Thoma pro illa opinione: ſed quod extraxerit 73. quæſtiones pro authoritate & poteſtate Papali. Atque inter cæteras quæſtiones, proponit 4. quæſtiones immediatè oppoſitas propoſitioni illi, CONCILIUM EST SUPRA PAPAM: & ſunt hæ in terminis. *Quæſtio 52 eſt, Vtrum ſolius Papæ auctoritate habeat Vniverſalis Synodus congregari? Quæſtio 53. eſt. Vtrum ad Papam pertineat confirmare ſententias Synodorum? Quæſtio 54. Vtrum ad Papam à Synodo appelletur? Quæſtio 55. Vtrum neceſſe habeat Papa congregare Concilium univerſale, quotieſcumque habet aliquid de fide determinare?* Et ecce extractas reſolutiones earumdem quæſtionum ex S. Thoma. Sic igitur immediatè poſt quæſita illa, habet Turrecremata. *Ad omnes iſtas quæſtiones reſpondet S. Thomas. Ad primas tres affirmativè; ad quartam negativè, in quæſtionibus de Potentia Dei, quæſt.* 10. *art.* 4. Et tu ſcis Pater quod *Turrecremata extraxit ex S. Thoma, & tradidit Concilio omnia quæ habebat in ſuis operibus pro illa opinione,* CONCILIUM EST SUPRA PAPAM? Extrahere ex S. Thoma quod ſolius Papæ auctoritate habeat univerſalis Synodus congregari: quod ad Papam pertineat confirmare ſententias Synodorum: quod poſſit à Synodo ad Papam appellari: quod denique Papa non habeat neceſſe congregare Concilium univerſale, ut aliquid determinet de Fide: an hoc eſt extrahere ex Sancto Thoma authoritates pro illa opinione, CONCILIUM EST SUPRA PAPAM? Injuſtiſſimè profectò, quia ſine ſpecie veritatis, ſic locutus es contra Virum illum de Eugenio IV. à quo Baſilienſe illud Concilium diſceſſit, adeò benè meritum, ut Cardinalem illum creaverit titulo S. Sixti:

contra virum illum, cui nihil ita cordi fuit, quam stabilire authoritatem, & præeminentiam Summi Pontificis: Contra Virum illum, qui ex constantissimo erga Eugenium (quia verum Pontificem) zelo, cum Cardinale Cusano, Eugenianus dictus fuit: injustissimè, inquam, & contra veritatem locutus es, dum Virum illum, Viris schismaticis aggregasti.

## NODUS DECIMUS.

Recitatur in hoc Nodo approbatio quædam doctrinæ D. Thomæ, facta per Pium V: contenta in his verbis Bullæ ejusdem Pij V. impressæ in magno Bullario: *Ex quo sanctorum laudabili numero, qui Catholicam veritatem corde, opere, & ore roborarunt, Angelici Doctoris S. Thomæ de Aquino Ordinis FF. Prædicatorum in cælum assumptio, multis ante annis Orbi terrarum, & divinis & proprijs est comprobata testimonijs: nam & miraculorum signis, quibus servi sui Thomæ perpetuæ veræ pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas, & Certissimâ Christianæ regulâ doctrinæ, quâ Sanctus Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustravit, adductus felicis recordationis Ioannes XXII. prædecessor noster, illo in sanctorum numero, relato: eius diem festum, Nonis Martij, quo die nunc etiam colitur anniversario honore celebrari iussit.* Quod attinet ad verba illa, Certissima Christianæ regula doctrinæ, qua &c. Ipsissimus ubique in contradictione, negat absolutè Pater de Alva in ijs contineri vel minimam approbationem doctrinæ D. Thomæ. Sic enim de ijs loquitur fol. 652. Nodi sui. *Falsum est, & ab omni*

*veritate*

*veritate alienum, Summum Pontificem in præsenti Bulla hoc affirmare de doctrina S. Thomæ. Doctores enim Salmanticenses, ut exaltarent doctrinam Sui Angelici Doctoris: verba Pontificia dicta de doctrina Ecclesiæ Catholicæ, transtulerunt ad doctrinam S. Thomæ. Inquit enim summus Pontifex. Assumptio S. Thomæ in cælum multis est comprobata testimonijs. Tam, inquit summus Pontifex, ex testimonio miraculorum, quibus inexhausta Dei benignitas ipsum voluit nobilitare, tam ex certissima regula Christianæ doctrinæ quæ deficere non potest, scilicet ex Bulla ipsius canonizationis, quâ Ioannes XXII. ipsum in sanctorum numerum retulit. His duobus testimonijs, miraculorum scilicet, & canonizationis ipsius, quæ sunt certissima Christianæ Doctrinæ regula, comprobatur S. Thomæ de Aquino in cælum assumptio, & beatitudo.*

Priusquam ad hæc verba respondeam, memini quod Pater de Alva fol. 383. S. Thomam describat ex aliqua imagine à se visa, *In habitu sæculari cum tribus pueris ad pedes, quasi addiscerent litteras alphabeti.* (verba ejus sunt ibidem.) Scio quod Pater de Alva S. Thoma non egeat ut Magistro, ut ab eo cum tribus pueris illis addiscat litteras alphabeti, suppono quod alphabetum suum calleat à primis unguibus, ut necesse eas non habeat nunc addiscere in senectute. Verum, quoad Grammaticam, adhuc profectò Magistro indiget. Non quidem S. Thoma (quomodò enim eum Magistrum admitteret in Grammaticalibus, qui in Theologicis eum repudiat?) sed potius sui Ordinis aliquo, ut habeatur ad manum, à quo addiscat constructionem Grammaticalem: quam si sciret, profectò non adeò stupidè, pueriliter & extortè illa verba construxisset.

Non ille quem tibi imaginaris Pater, verborum sensus est: sed dicit Pius V. quod Joannes XXII. inductus duplici motivo, miraculorum videlicet signis,

Deus

Deus S. Thomam vel ejus Opera nobilitare voluit; & CERTISSIMA CHRISTIANÆ REGVLA DOCTRINÆ, quâ S. Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustravit: quod inquam duplici illo motivo inductus, jusserit celebrari festum ejus diem Nonis Martij, quo die nunc etiam colitur. Hunc esse sensum verborum Pij V. unus ex suprapositis tribus pueris, in ruborem Patris de Alva judicaverit. Atque ut nos indisciplinatum intellectum ipsius in hac parte erroris convincamus, ostendo ad oculum quod sensus verborum Py V. non possit esse ille quem Pater de Alva sibi somniavit, vel malevolè, & ex invidia contra S. Thomam finxit.

Secundum te Pater Reverende istorum verborum sensus est, quod videlicet assumptio S. Thomæ in cœlum sit probata duobus testimonijs, miraculorum scilicet & canonizationis; ita ut unum signum assumptionis ejus sint patrata miracula, alterum sit Bulla canonizationis, quâ Ioannes XII. ipsum in in Sanctorum numerum retulit, quam Bullam dicis intelligi per verba illa CERTISSIMA CHRIITIANÆ REGVLA DOCTRINÆ, ex eo quod Pontifex in Bullis canonizationis deficere non possit. Atqui ille non potest esse sensus verborum Pij V. Si enim verba illa CERTITSIMA CHRISTIANÆ REGVLA DOCTRINÆ intelligantur de Bulla canonizationis, sicut vis intelligi; ad quod substantivum referetur relativum illud, *quâ S. Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustravit?* Cùm sit substantivum de, ly, *Regula* (dicit enim Pontifex ut ex verbis eius vidimus, CERTISSIMA CHRISTIANÆ REGVLA DOCTRINÆ, *quâ S. Doctor Apostolicam* &c.) cùm inquam sit relativum de ly *regula*; oportet quod ad ly *regula* referatur. Quod si verò per ly *regula* intelligatur Bulla canonizationis, oportet consequenter quod ad Bul-

ad Bullam canonizationis referatur. Quo quid stultius? enimverò an S. Thomas per Bullam canonizationis suæ illustravit Ecclesiam confutatis hæresibus, an per doctrinam à se traditam? De ea profectò prædicta verba, CERTISSIMA CHRISTIANÆ REGVLA DOCTRINA secundum omnem Gramaticam intelligenda sunt, nisi Provinciæ Limensis filij, aliam Gramaticam habeant, sicut in multis habent aliam Syntaxim, saltem apud Patrem de Alva, cujus liber scatet gravissimis erroribus seu vitijs contra Sintaxim Belgicam, quæ prætermitto, quod puerile foret ea recensere.

Cæterùm ex his maneat fixum & firmum, illud elogium Pij V. datum de doctrina D. Thomæ, quantumque strideat Thomisticæ gloriæ emulator. Nec imposterum, inquirat 654. *Vbi sit hæc propositio Py V* (quod videlicet doctrina D. Thomæ sit CERTISSIMA CHRISTIANÆ REGVLA DOCTRINÆ) *facta universæ Ecclesiæ?* Respondetur enim quod in Bulla: quam si voluerit videre, legat eam, etsi non rectis procul-dubio oculis, in Romano Bullario, ubi est 36. in Ordine: quâ præcipit in omnibus terræ partibus Festum S. Thomæ celebrari, ad instar Festorum aliorum quatuor Ecclesiæ Doctorum.

Fol. 656. proponit in multis S. Bonaventuram S. Thomæ. Primò quod *S. Thomas non est receptus ut Doctor Ecclesiæ directè & formaliter à Summo Pontifice Pio V. sed solùm est Doctor Ecclesiæ ex consequentia & illatione, Pius enim V.* (omnia hæc verba ejus sunt) *solùm edidit Bullam: ut Festum S. Thomæ celebraretur in Regno Neapolitano solemniter sub duplici Officio maiori, & illic esset dies festus: in alijs autem orbis terræ partibus celebraretur eius solemnitas, sicut aliorum Quatuor Ecclesiæ Doctorum. At S. Bonaventura, expressè, formaliter, & nominatim in individuo fuit adscriptus inter quatuor*

*præcipuos Doctores Ecclesiæ, à Sixto V.*

Si vellemus esse Nominales & legales qualis est Pater de Alva qui in 24. dictionibus potest subtili suo ingenio distinguere plusquam quadraginta vitia contra legalitatem seu litteram, uti reipsa se putat executum contra Doctores Salmanticenses fol. 588. diceremus falsum esse quod Sixtus V. adscripserit S. Bonaventuram inter quatuor præcipuos Doctores Ecclesiæ. Non enim dicit Sixtus, inter quatuor præcipuos, sed simpliciter, inter præcipuos & primarios, ut videre est ex ipsismet verbis Sixti V. apud Patrem de Alva fol. 657. Verum non invidemus S. Bonaventuræ, quemcumque honoris titulum, quod omni laude dignissimus sit.

Illo proinde neglecto, examinemus illud primum utrum scilicet S. Thomas tantum sit indirectè adscriptus numero Doctorum Ecclesiæ. Quæro enim: quare solum indirectè? Quare tantum ex consequentia & illatione? Quia inquit, Pater de Alva, in hoc solum adscriptus est, quod officium ejus Pius V. celebrari voluerit ad instar officiorum aliorum quatuor Ecclesiæ Doctorum. Ad hæc, quæro ulterius quomodò Augustinus, Ambrosius, Hieronymus & Gregorius deputati fuerint in quatuor Ecclesiæ Doctores, à Bonifacio VIII. Non aliter quam quod Bonifacius VIII. ordinaverit ut ipsorum festa, propter excellentem eorundem doctrinam celebrarentur sub duplici officio, nullo moto verbo, quod directè eos Ecclesiæ Doctores declararet. Ita patet in cap. *Gloriosus.* De reliquijs & veneratione sanctorum in Sextum. His suppositis Augustinus, Ambrosius, &c. Gregorius, vel sunt recepti à Bonifacio VIII. in Doctores Ecclesiæ directè & formaliter vel tantum ex consequentia & illatione? Si dicatur hoc secundum, S. videlicet Augustinum &c. tantum esse

Docto-

Doctores Ecclesiæ ex consequenti, libenter id feremus dici etiam de S. Thoma, ne discipulum ponamus supra magistrum. Quod si primum: ergo & S. Thomas à Pio V. directè & formaliter receptus est in Doctorem Ecclesiæ, ex hoc ipso quod propter excellentiam ejus doctrinæ, officium ipsius sub duplici, per totum Christianum orbem celebrari voluit, cum determinativa clausula expressâ in eadem sua Bulla; *Quemadmodum sanctorum quatuor Ecclesiæ Doctorum festivitates piæ memoriæ Bonifacij Papæ V III. etiam prædecessoris nostri præcepto celebrantur.* Prima proinde præferentiæ ratio Patris de Alva deficit, nisi S. Bonaventuram S. Augustino, & tribus alijs Ecclesiæ Doctoribus in institutione sua in Doctorem, etiam velit præferri.

Alteram rationem præferentiæ ponit fol. 659. ubi sic habet: *Nona ac præcipua ratio. Quia in oratione pro S. Thoma solum dicitur: Deus qui Ecclesiam tuam B. Thomæ Confessoris tui mira eruditione clarificas &c.* In oratione vero S. Bonaventuræ: *Deus qui Ecclesiæ tuæ B. Bonaventuram Confessorem tuum atque Pontificem, Doctorem mirabilem tribuisti &c.* Sed obsecro, in quo Breviario vel Missali habetur Oratio illa de S. Bonaventura? An in Romano? An in Missali, Breviario, vel Officio de S. Bonaventura Ordinis FF. Minorum? Non utique in Romano: illic enim solum habetur Oratio de Communi Doctorum: *Deus qui populo tuo &c.* Ergò est illa quæ habetur in Breviario seu Missali, vel saltem in Officio de S. Bonaventura quod legitur in Ordine Minorum. Igitur & in hoc pares sunt S. Bonaventura & S. Thomas, in Breviarijs enim & Missali Ordinis nostri dicitur in Oratione de S. Thoma. *Deus qui Ecclesiam tuam Beati Thomæ Confessoris, tui atque Doctoris mira eruditione clarificas &c.* Et ne causetur illam particulam

Docto-

*Doctoris* non inveniri in antiquioribus nostri Ordinis Breviarijs & Missalibus, dignetur nostris Breviarijs & Missalibus relictis, introspicere Missalia Romana & illic in collecta seu oratione quæ dicitur *Secreta*, & in oratione quæ dicitur postcommunio inveniet S. Thomam dici *Doctorem*. In illa quidem his verbis. *S. Thomæ Confessoris tui atque Doctoris nobis Domine pia non desit oratio* &c. In hac verò, his: *Vt nobis Domine tua, sacrificia dent salutem B. Thomas Confessor tuus & DOCTOR EGREGIVS quæsumus precator accedat.* Unde & hæc ratio præferentiæ, quam tamen Pater de Alva dicit præcipuam, nulla est.

Et verò, licet in Oratione de S. Thoma non diceretur quod fuerit Doctor, an propterea Sanctum Bonaventuram, S. Thomæ liceret præferre quoad Doctoratus dignitatem? Non credidero: Ne similiter præponi debeat in ratione Doctoris, Primario inter omnes Ecclesiæ Doctori Augustino: cum nec in ipsius Oratione seu collecta, verbum habeatur de doctoratu ejus, vel doctrina.

Quòd verò attinet ad Orationem Ecclesiæ quam legit in Festo D. Thomæ: non habet profecto Pater de Alva, quod ex ea formet argumentum, quo S.Bonaventuram, S.Thomæ præponat. Neque enim scio utrum excellentius, S. Thomas & doctrina ejus laudari possit, quam in ea laudetur. In nulla enim Oratione cujuscumque Doctoris petit Ecclesia à Deo sibi dari intelligentiam eorum quæ ipse docuit, quod tamen facit in oratione de S. Thoma, dicens: *Da nobis quæsumus & quæ docuit intellectu conspicere* &c. Petit quidem Ecclesia in orationibus aliorum Ecclesiæ Doctorum, ut ipso Doctore intercedente, possit exercere quæ ore simul & opere docuit, uti petit in Festo S. Hieronymi: ut possit ipsum intercessorem habere,

habere, atque ejus sentire patrocinia & similia. Sed in oratione de S. Thoma, petit ut possit intelligere quæ docuit, idque non cum aliqua restrictione ad aliqua determinata, sed indiscriminatim omnia quæ docuit. Cùm ergò Orationes Ecclesiæ (discursus est Magistri Joannis à S. Thoma in tractatu de approbatione doctrinæ D. Thomæ disp. 1. art. 1.) dicere non possimus esse perfunctorias, sed veras & fundatas, uti etiam sentit Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 23. necesse est dicere, ea omnia quæ S. Thomas docuit, juxta Ecclesiam cujus illa oratio est, veritatem Doctrinæ continere, cum Ecclesia non oret ut intelligere possit aliquid quod sit falsum.

Ex eâdem Oratione deduci poterit confirmatio elogij de quo Nodo subsequenti, quod est Clementis VIII. qui dixit quod S. Thomas suos libros scripserit *sine ullo prorsus errore*. Cùm enim Ecclesia, uti diximus, & constat ex verbis ipsius Orationis, petat in Festo S. Thomæ & (id est omnia) quæ docuit intellectu conspicere, seu intelligere: ne Ecclesia dicatur se exponere periculo petendi intelligentiam alicujus falsitatis, dicendum est quod similiter Ecclesiæ judicium sit, in S. Thoma nullum contineri errorem seu falsitatem.

Aliam rationem præferentiæ S. Bonaventuræ, alijs minoris momenti relictis, proponit eodem fol. 659. dicens: *Septima differentia est, quod S. Bonaventura fuit Generalis Ordinis Minorum per 18. annos, fuit Archiepiscopus ac S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & mortuus est cum esset Præses Concilij Lugdunensis, quorum nihil habuit S. Thomas: quia ut Frater Particularis semper vixit, & sic mortuus est.* In his verbis tuis facis injuriam Pater Reverende S. Thomæ, non quidem in eo quod S. Bonaventuram præponas S. Thomæ (in

quo fortassis si non falsò, ad minus temerariè agis, cum spirituum sit ponderator Dominus) sed quod in eo illum postponas, in quo fortassis esset præponendus: quod videlicet S. Thomas non habuerit dignitatem aliquam Ecclesiasticam. Quod non habuerit, ex eo provenit, quod nullam habere voluerit. Numquid de ipso legis in ipsius vita, insertâ nostro Breviario quod *ab Vrbano IV. Romam vocatus adduci non potuit ut honores acciperet?* Numquid quod *Archiepiscopatum Neapolitanum deferente Clemente IV. recusavit?* Numquid in Cantipratano, libro primo de apibus cap. 20. legisti, quomodò etiamnum non plus quam sexdecim, plus minusve annorum adolescens, ab Innocentio IV. citatus fuerit ad curiam Papalem ut in ea; Ecclesiasticas dignitates acceptaret? Si non legeris, lege ex prædicto S. Thomæ coævo B. memoriæ Cantipratano hæc verba. *Venienti autem, mox à Papa precipitur ut regimen Abbatiæ Montis Cassini susciperet, quæ utique maxima erat in totius Apuliæ & Campaniæ partibus Prælatura. Septem enim Episcopatus, illius Abbati subiacent, qui & ipse Pontificale officium in omnibus administrat.* Sed numquid prælaturam hanc suscepit? Lege ulterius in Cantipratano. *Renuit* (inquit) *præclarissimus adolescens, nec Ordinem vel habitum suum, deserere ulla conditione consensit. Cui cum Papa concederet,* (ejusdem Cantipratani adhuc verba sunt) *ut in Ordine & habitu suo, præesset officio* (illi videlicet prælaturæ) *noluit ille, & clam prolapsus à curia fugit, & in Coloniam Agrippinam venit &c.* Nempè id unum erat ex tribus, quæ potissimum à Deo postulare consueverat, ut regularis vitæ humilitatem ac paupertatem posset ad mortem usque servare. Ex his rursùs dico, quòd ex eo solum S Thomas dignitatem aliquam Ecclesiasticam non habuerit, quod ex profunda humilitate habere eam noluerit,

rit, etiam ultroneè sæpiùs oblatam. An igitur in eo S. Thomas, S. Bonaventuræ postponendus est? Non ego eum postposuero: cum non minoris excellentiæ sit, & fortè sit majoris, ex humilitate honores mundi oblatos contemnere, quam eosdem oblatos ex obedientia simplici acceptare, quemadmodum eos S. Bonaventura acceptavit. Ad calcem hujus discursus nequeo satis mirari, quomodò S. Bonaventuræ Fratres Minores non plus honoris deferant, quam hodiernâ die eos videmus differre in materia doctrinæ. Enim verò, si S. Bonaventura sit adeò excellens Doctor, sicut reipsa est; & quidem secundum Patrem de Alva excellentior S. Thoma, communi tamen scholarum magistro: quomodò ei in doctrina Scotus præponitur? Quomodò inquam doctrina Scoti, in scholis FF. Minorum prælegitur, Seraphici Doctoris Bonaventuræ doctrinâ neglectâ? Hoc profectò nullam aliam habet solutionem, nisi quod Scotus dicatur excellentior etiam ipso Bonaventura, & per consequens multis gradibus excellentior S. Thoma: quod tunc primum incipiam credere, postquam Scotus per Pontifices fuerit aggregatus numero Quatuor Ecclesiæ Doctorum, quemadmodùm Bonaventura & Thomas. Cæterùm transeamus ad alia.

Fol. *661*. in principio carpit P. Galvan quòd ipse velit quod doctrina S. Thomæ sit *Certissima regula Christianæ doctrinæ*, & dicit *si ista sint vera nec ne, judicet qui potest Alexander VII.* Non est quod Alexander hoc judicet, quod enim à Pio V. doctrina D. Thomæ *Christianæ Doctrinæ regula*, dicta sit, probavimus demonstrativè, & ad oculum in præcedentibus, ex quibus quilibet, licet non fuerit Alexander, judicare potest, verba Patris Galvan in hac parte esse vera.

Fol. 664. dicit quod Pius V. concesserit vivæ vocis Oraculum Fratribus Minoribus, ut recitarent Officium Nogarolæ per eumdem Pium V. ex eorum Breviario priùs expunctum. Cęterùm eodē folio, *Non deest tamen his nostris temporibus*, inquit, *qui illud infringere voluerit, affirmando expressis verbis, esse falsum, suppositum, & fictum à FF. Minoribus, Hic est Reverendissimus P. F. Thomas Turcus Generalis Ordinis Prędicatorum, in suo Tractatu editò anno* 1648. Deindè adfert fundamentum Turci, quod videlicet idem Turcus invenerit duos libellos in Archivo nostræ Religionis, unum impressum anno (uti malè citat Pater de Alva) 1564. & alterum anno 1585. qui libelli continebant Officia propria Ordinis Minorum, cum vivæ vocis Oraculo à Pio V. emanato, anno 1569. quo eorumdem Officiorum recitatio FF. Minoribus indulgebatur. In quorum priori libello minimè reperiebatur alijs annumeratum Officium Nogarolæ, benè autem in secundo, impresso videlicet anno 1585.

Hoc est fundamentum Turci, ex quo nisus est deducere, per fraudulentiam (uti loquitur) & prophanam manum, Officium Nogarolæ alijs superintrusum, & per summam audaciam adjectum. Si enim habuissent FF. Minores à Pio V. vivæ vocis Oraculum anno 1569. ut possent recitare officium Nogarolę, illud, inquit Turcus, Officium, in libello illo priori fuisset alijs Officijs Ordinis Minorum adjunctum: quod cùm non fuerit, nec ex altera parte emanaverit aliud vivæ vocis Oraculum Pij V. quam illud anno 1569. indè deduxit Turcus, Officium illud Nogarolę, Officijs proprijs Ordinis Minorum, pro quorum recitatione habebant vivæ vocis Oraculum, fuisse superintrusum.

Quod attinet ad hoc propositum Turci fundamentum, quod videlicet ipse se dicat invenisse in

Archivo nostræ Religionis duos prædictos libellos, insignitos vivæ vocis Oraculo Pij V. de eo sic loquitur P. de Alva fol. 668. *De secundo edito Parisijs anno 1585. veritatem dicit : de altero autem de quo non adducit locum impressionis, excusô, ut ipse dicit, anno 1564. cum vivæ vocis Oraculo Pij V, est quædam calumnia clarè, evidenter, atque manifestè intrusa, ut macularet Sacram Religionem Minorum.* Igitur secundum Patrem de Alva calumniatus est Turcus, dum dixit se vidisse prædictos duos libellos insignitos vivæ vocis Oraculo Pij V. Et quare calumniatus sit? Quare? Quia dicit se vidisse alterum istorum libellorum, impressum anno 1564. Et in hoc calumniatus est, cùm Pius V. anno illo 1564. nondum esset Pontifex, ut qui solum creatus fuerit in Pontificem, anno 1566. Quomodò ergò (inquirit Pater de Alva fol. 669.) Reverendissimus Pater Turcus videre potuerit libellum impressum anno 1564. cum vivæ vocis Oraculo Pij V, si anno illo non erat summus Pontifex?

Sed pace tuâ Pater Reverende: ubinam Generalis noster Turcus, dicit se vidisse libellum illum à te citatum, impressum anno 1564. cum illo vivæ vocis Oraculo? fol. 664. in Tractatu (inquis) suo contra conceptionem, edito anno 1648. §. *Sed cum larvam detego.* Irreligiosè calumniaris, & dupliciter peccas, dum per calumniam, imponis virum intemeratæ fidei calumniari. In antecedentibus, oculi tui solùm caligaverint, præcipuè fol. 76. ubi in Breviario impresso, jussu Reverendissimi P. Hippolyti Maria Beccaria à Monte Regali, de quo suprà, in Lectionibus pro Festo S. Thomæ, loco quod legisses *B. Thomas de Illustri prosapia Comitum de Aquino*, incautè legisti, *de Austri prosapia*: & licet non esses totaliter orbatus uno oculo, & altero rectè videres (felicior proindè Turco, sed isto non integrior) ex I. & LI.

 fabri-

fabricatus es A majusculum, propter characterum similitudinem. Hic verò, non dico *Monoculus, Strabo*, vel *cæcus* (sufficerit enim quod religiosos illos terminos fol. *669.* prædicaveris de Reverendissimo P. Turco) apertis oculis nihil videns, in erroris foveam, cum non haberes qui tibi cespitanti præstaret manum, turpiter corruisti. Enimverò inspice, volve & revolve citatum à te Tractatum Turci, & illic invenies gravissimum errorem tuum: illic invenies, non illum à te citatum annum 1564. sed annum 1574. Ecce etenim ipsissima verba Turci reperta in quatuor diversis citati à te Tractatus exemplaribus, à pluribus retrò annis (uti scimus) manuscriptis, quorum tria extant apud nos Lovanij, & quartum reperitur apud nos Bruxellis. Ecce, inquam, ipsissima Turci verba illo tuo §. *Sed tum larvam detego*: procedunt itaque in hunc modum: *In archivo Religionis Dominicanæ, duo Exemplaria habentur huius libelli propriorum Festorum Ordinis FF. Minorum* &c. *alterum impressum* 1574. *Alterum verò excusum Parisijs* 1585. *utrumque insignitum eodem Oraculo vivæ vocis Pij V* 1569. &c. Itane verò annus 1574. tibi visus est annus 1564? Reverendissimus P. Thomas Turcus (juvat iterùm repetere tuos Religiosos terminos) etsi ipse secundum te fol. *67. esset totaliter orbatus uno oculo, & altero non rectè videret*, non judicavit numerum 9. esse 4. ut ex anno 1569. faceret annum 1564. sed tu cùm esses præoccupati judicij, putasti quod totum evinceres, si Generalem Ordinis nostri calumniæ convinceres, quam finxisset ipse, uti dicis, *ad maculandum Ordinem Minorum*. Propter hoc decem annis retrogressus es, ab anno, videlicet 1574. ad annum 1564. ut videlicet convinceres Pium V. non potuisse dedisse vivæ vocis Oraculum 1564. qui anno 1566. in Pontificem dumtaxat fuerat electus, & ex consequenti menti-

tum oſtenderes Generalem noſtrum Turcum, dum dixit ſe vidiſſe primum, duorum iſtorum libellorum cum vivæ vocis oraculo Pij V. Sed Deo laus, qui denudavit fundamentum impoſturæ tuæ uſque ad collum.

Deprehenſa infami hâc calumniâ, Pater de Alva fidem faciat, ſed non apud viros cordatos & veracitatis amatores: tam effronter enim calumniari, etiam tepidus veracitatis amator non poſſet, etſi vellet. Quoad me omnem fidem univerſis ejus dictis & ſcriptis exui, propter hanc præſertim ejus impoſturam, contra quam eo ardentius modò excandeſco, quantò, dum primò ejus librum, & hunc de quo modo egimus, locum revolvi, minùs dubitabam, quin Pater de Alva in eo verum diceret, in quo modò deprehenſus eſt inverecundus calumniator.

Fol. 667. dicit per ironiam. *De Religioſa modeſtia* (ejuſdem Patris Generalis noſtri Turci) *jam conſtat.* Ex eo videlicet quod aliquos Ordinis Minorum vocaſſet impoſtores. Ego vero non ironicè, ſed ſecundum veritatem dico, quod Patris de Alva irreligioſa immodeſtia conſtet, ex eo quod ut jam vidimus, & ampliùs videbimus, ſuis irriſionibus ſarcaſmis, & detractionibus Ordinem noſtrum conetur exponere ludibrio, & S. Thomam deſpectui, in quocumque contra eum imaginabili.

Fol. 676. Ad iſta verba Pij V. ex ſupra relata ejus Bulla *Mirabilis Deus*, quæ ſunt hæc: *Cujus meritis orbis terrarum à peſtiferis quotidie erroribus liberatur*: addiderunt, inquit, Salmanticenſes ſine fundamento & veritate, illa: *Semper confutatas fuiſſe antiquas hereſes & novas.* Itane vero ſine veritate, & fundamento? falleris Pater. Id ipſum enim dixit Pius V. in illis ſupra relatis verbis: quibus doctrinam ejus dixit *Chriſtianæ doctrinæ regulam, quâ Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hereſibus illuſtravit.*

*stravit.* Si infinitas hæreses confutarit: ergò & novas & veteres. Et siquidem Salmanticenses hoc dixerint sine veritate; similiter illud Pius V. dixit sine veritate, unde Pium V. Pater de Alva arguat mendacij, vel seipsum.

Eodem fol. 676. *Sed admittamus* (inquit) *omnia tamquam si essent vera ac legitima Summi Pontificis, quorum medulla est hæc. Doctrina S. Thomæ semper & quotidie liberatur Ecclesia, à pestiferis erroribus; quia ipsa confutantur hæreses antiquæ & novæ &c. Et hinc interrogo: quomodò doctrina Angelici Doctoris potuit confutare antiquas hæreses exortas, antequam ipsa fuisset? Ad hoc nullam invenio solutionem, sed existimo, quod non sit alia, nisi recursus ad merita prævisa S. Thomæ.* Quis non miretur stupidam illam interrogationem, & resolutionem stupidissimam Patris de Alva? Quis enim umquam dixit, quod doctrina S. Thomæ confutarit antiquas exortas hæreses, antequam ipsa fuisset, & ante sui existentiam? Salmanticenses inquiet Pater de Alva, qui ad illa verba Pij V. *infinitis confutatis erroribus,* addiderunt sine fundamento & veritate, illa: *Semper confutatas fuisse antiquas hæreses & novas,* Quod hoc illi Doctores non dixerint sine fundamento & veritate, paulo antè manet demonstratum. Quis vero sensatus ex prædictis Salmanticensium verbis, nisi irrisor S. Thomæ, deducet, quod doctrina S. Thomæ, antiquas hæreses extirpaverit, antequam ipsa fuisset? In hoc, quod dicitur, semper extirpasse antiquas hæreses, non importatur quod S. Thomas, antequam natus esset, hæreses extirpaverit, sed quod dum viveret & deinceps, per doctrinam suam hæreses extirparit, non tantum noviter exortas, sed etiam ab antiquo seminatas. Et verò quod S. Thomas in hunc modum hæreses extirparit adeò patens est ut S. Antoninus 3. parte Hist. tit 23. cap. 7. §. 5. audeat

audeat dicere. *Supervacuum autem est recensendo errores describere, quos idem veritatis Doctor scripturarum suarum, tamquam falce acutissima, valuit extirpare.* Quare supervacum? Quia nimis clarum. Idipsum patet (ne contra S Antoninum quia de Ordine Prædicatorum Pater de Alva excipiat) idipsum, inquam patet ex Jacobo Florentino Ordinis Minorum, in præfatione, in opus Raynenrij de Pisis ubi sic habet.

*Dispositione summi Dei actum esse reor, ut novissimis diebus, cum nulla ferè mirabilium rerum opera coruscarent: huius viri doctrina profundissimis ac validissimis rationibus præmunita clarificet, per quam Ecclesia, hereticorum prælia, & quòndam exorta, & imposterum oritura, facilè repellere possit. Quisnam error de radice vetustarum hæresum propagatus, per eum illico non fuit extinctus? Aut quis novuus fidei oppugnator accessit, in quem non protinus Iacula Catholici dogmatis contulerit? Manichæorum etiam hæresis, & pleraque alia mortifera malignitatis hæreticæ semina incaluerant, quæ iste zelo fidei nimium exardescens, penitus contrivit atque delevit: patent ista tum in cæteris operibus suis, tum maximè in eo volumine quod contra Gentiles dicitur: ubi singula Philosophorum & hæreticorum dicta Christianæ veritati contraria, adeò perspicaciter & validè confutavit,* UT AD ORBEM TERRARUM ILLUSTRANDUM, DEQUE CUNTIS ERRORIBUS LIBERANDUM, TANTUMMODO NATUS FUISSE VIDEATUR. Hæc pro S. Thoma te Religiosior & veracior in hac parte, Confrater tuus Pater Reverende. Tu verò in hoc quod dicebatur S. Thomam semper extirpasse antiquas hæreses, intellexisti, vel potius dolosè finxisti à Salmanticensibus dici quod S. Thomæ doctrina extirpasset hæreses antequam ipsa fuisset, ut recursum haberes ad prævisa merita Divi Thomæ: in cumque finem, in talem explicationem

 verba

verba contorsisti, ut ex ijs extorqueres hoc argumentum, seu Nodum, quem adfers fol. eodem 676. *Ante eius existentiam habuit S. Thomas merita prævisa pro toto terrarum orbe, ut ipsum liberaret quotidie, & semper à pestiferis erroribus in plurali: & Christus Dominus non habuit prævisa merita, ut unicam Matrem suam semel & pro unico instanti liberaret in singulari ab uno pestifero contagio peccati Originalis*, & immediatè post inquireres, *Et quando solvetur Nodus iste?* Hæc ultima propositio, Lector Jubilate, quam nos quoad substantiam non tangimus, ut Nodum faceret, conjungenda foret alteri extremo, seu propositioni veræ, & non à te fictæ. Quod enim S. Thomas ante suam existentiam prævisa merita habuerit pro toto terrarum orbe, ut eum quotidie liberaret ab erroribus, figmentum tuum est. Et hujusmodi tuus recursus ad prædicta merita, fatuitas quædam est, & stultitia.

Fol. 677. inquirit à nobis super S. Thoma? *Quem ipsum facitis?* Quo spiritu hoc inquirat, an eo, quo Scribæ & Pharisæi inquirebant à Christo, *Quem te ipsum facis?* Non est nostrum judicare, sed illius, qui scrutatur renes, & corda. Interim timeat Pater de Alva, ne illum quem ipse per totum hunc librum suum nihil facit, & ad nihilum conatur redigere, aliquando faciat Deus Judicem suum, ut lavet manus suas in sanguine sui contemporis.

Eodem fol. 677. assumit iterum illa verba. *Doctrina S. Thomæ liberat semper, quotidie ab antiquis, & novis erroribus totum terrarum orbem*: Et immediatè post illa, inquirit: *Quomodo ergo sunt tot tantique errores pestiferi hodie per totum terrarum orbem? hoc non habet solutionem, quia est evidens, utinam non esset!* Si hoc non habet solutionem, ergo nec hoc dictum Ecclesiæ de D. Virgine. *Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.* Plurimæ enim etiam antiquæ hære-

ses modo ad huc residuæ sunt, & dominantur, per magnam hujus Universi partem.

## NODUS UNDECIMUS.

IN hoc Nodo proponitur approbatio Doctrinæ D. Thomæ per felicis recordationis Clementem VIII. Pontificem Maximum, per hæc verba contenta in Brevi ejusdem Pontificis directo ad Nobiles & Civitatem Neapolitanam. *Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debetur. Ac doctrinæ quidē testis est ingens librorū numerus, quos ille brevissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere, singulari Ordine, ac mira perspicuitate*, SINE ULLO PRORSUS ERRORE *Conscripsit, in quibus conscribendis, interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquentes locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit, & quos deinde conscriptos expressâ Christi Domini voce comprobatos audivit.* Quod attinet ad elogia in his verbis Clementis reperta, invereundâ fronte eò usque pertingit temeritatis, ut clausulam illam præcipuam. SINE ULLO ERRORE CONSCRIPSIT, sine detractione, fol. 603. affirmet posse dici fictam & gratis introductam. Quod quidem gatis dicit & temerarie: gratis; quia non probat: temerariè vero, quia temerarium est contradicere communi notitiæ habitę tam ex scriptoribus, quam ex ipsa traditione, & nullum adferre fundamentum suæ contradictionis. Illa verò verba & integrum Breve Clementis, habetur imprimis in Bzovio tom. 14. Annalium. Habetur in Nazario: citatur à Patribus Discalceatis Complutensibus in suo Cursu Philosophico: habetur in ordinationibus nostri Capituli Generalis, factis Romę Anno

Anno 1612, &c. Nec ullum adfertur fundamentum contradictionis. Si enim aliquid possit adferri in contra, esset, quod adfert fol. 683. Quod scilicet Salmanticenses ad elogium istius Brevis, in suo Opusculo de sequenda doctrina D. Thomæ, addiderint verba hæc sequentia: *Tantumq; assecutus fuit Mysteriorum sacrorum, quantum quispiam mortalium assequi poterat*. Hoc enim est unicum fundamentum contradictionis, ut patet ex ipsomet Patre de Alva, suprà citato folio 693. Postquam enim folio 682. recitasset hæc verba Doctorum Salmanticensium: *Hoc idem confirmat Clemens VIII. de quo inferius dicemus, dum ait: Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debetur. Ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore, in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit, Tantumque assecutus fuit Mysteriorum Sacrorum quantum quispiam mortalium assequi poterat*, Fol. 183. dicit: *Duæ sunt clausulæ præcipuæ in hac authoritate. Prima est illa, Singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. Secunda est hæc: Tantumque assecutus fuit mysteriorum sacrorum, quantum quispiam mortalium assequi poterat, si hæc secunda est falsa & gratis introducta in illo rescripto brevi, seu Bulla Clementis VIII. qui iudicaverit sic etiam esse primam falsam & gratis introductam, non erit audax detractor.* Atqui hoc fundamentum est nullum, quia verba illa, SINE VLLO PRORSVS ERRORE CONSCRIPSIT, citantur & habentur in Scriptoribus, qui scripserunt, antequam Salmanticenses unquam illud elogium citaverint; ut in Bzovio, Sylvio, & teste Patre de Alva. f. 679. in Ordinationibus Capituli nostri Generalis, factis Romæ anno 1612. Ubi tamen Salmanticenses illud elogium S. Thomæ solùm inceperint

citare

ciare in libello à se composito de sequendâ doctrina S.Thomæ, post annum 1627. ut patet ex eodem Patre de Alva fol. 795. Undè Pater de Alva non solùm audax, verum etiam irreligiosus & turpis detractor est, dum vult clausulam illam esse fictam, & gratis introductam in illud Breve, sicut secunda illa Salmanticensium, de qua nos nihil tangimus.

Dum prævidit Pater de Alva se præmendum hoc vel hujusmodi argumento, ut sine dedecore retractet verbum suum, quasi gratis, aliquid concederet fol. 684. *Sed admittamus*, inquit, *more nostro authoritatem Clementis VIII. Restat nunc solum examinare in quo sensu dixerit Summus Pontifex, S. Thomam scripsisse suam doctrinam*, SINE ULLO PRORSUS ERRORE. *Et imprimis*, inquit eodem folio, *non loquitur de erroribus materialibus: secundo non possunt intelligi verba summi Pontificis de erroribus formalibus: quia opera S.Thomæ in quibus adducuntur authoritates Scripturæ, Conciliorum, atque Sanctorum Patrum sunt plena erroribus.* De quibus ergo erroribus loquitur Pontifex P.Reverende? Magistraliter id resolvit fol. 691. *Verba illa*, inquiens, *Summi Pontificis Clementis VIII.* SINE ULLO PRORSUS ERRORE, *intelligenda sunt de errore in fide.* Quod non possint intelligi de erroribus materialibus, si per errores materiales intelligantur errores typographiæ, facile admisero. Quod vero ly, SINE ULLO PRORSUS ERRORE CONSCRIPSIT debeat intelligi de errore in fide, & non simul de erroribus materialibus & formalibus (quorum primi in omni schola sunt errores in doctrina, dicti tamen vel scripti tamquam non errores, idque fide bonâ, & sincerâ, alij vero sunt errores in doctrina dicti vel scripti, aut ex malâ voluntate, aut ignorantia vincibili, vel etiam notitiâ de errore) falsum est, & à veritate prorsus alienum. Nisi enim Pontifex loqueretur de erroribus etiam mate-

materialibus, & formalibus, sed solum loqueretur de erroribus in fide & eos solù excluderet à doctrina D.Thomæ: jam summus Pontifex in nullo commendasset doctrinam D. Thomæ. Quam enim laudem exinde Doctor Angelicus reportaret, quod diceretur non docuisse hæreses, seu non errasse in fide? Non majorem profectò quam quilibet infimæ classis scriptor Catholicus, qui libros suos, etsi forent somnia, Emittere non potest in lucem sine hujusmodi testimonio, quod nihil contineant contra fidem. Verùm ad hoc videre videor, Patrem de Alva gestientem in hoc dicto meo, & dicentem, revera, sic esse, quod Summus Pontifex Clemens VIII. in nullo commendaverit doctrinam D.Thomæ in eo quod dixerit eam conscriptam SINE VLLO PRORSVS ERRORE. Verùm apage invidiosam hanc responsionem, illam enim sanè aures ferre non possunt. Imò verò in his verbis Clemens VIII. summè eamdem doctrinam S. Thomæ commendavit. Neque enim nudè (quamvis vel sic protulisse sufficeret) hæc verba protulit, sed pòstquam Prorex & civitas Neapolitana elegisset S. Thomam in Patronum suæ civitatis, rescribens in illo *Brevi*, Proregi, Nobilibus, &c. inquiebat. *Hic siquidem honor* (quod videlicet esset electus in Patronum civitatis) *eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debebatur.* Ubi ut patet proponit S. Thomam propter virtutes suas & doctrinam, ut dignum honore illo Patronatus: atque ut ostenderet dignum esse, non propter qualemcumque doctrinam, sed planè admirabilem, immediatè ad verba supra posita subjunxit. *Ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mirâ perspicuitate*, SINE VLLO PRORSVS ERRORE *conscripsit.*

Ex qui-

Ex quibus manifestum fit, Clementem Octavum dum de doctrina Divi Thomæ testatus est quod eam conscripserit, SINE VLLO PRORSVS ERRORE, non fuisse locutum de erroribus tantùm in fide. Ridiculam enim prout sic rem proposuisset Neapolitanis, quod videlicet jure meritò S. Thomam elegissent in Patronum propter eminentem doctrinam, si eminentia ista in hoc tantùm consistebat, ut vult P. de Alva, quod S, Thomas in scriptis suis numquam fuisset hæreticus, seu errasset in fide: hæc enim minima laus est quæ scriptori Catholico tribui potest. Maneat ex his sufficienter probatum, Clementem VIII. non solùm locutum fuisse de erroribus in fide, sed etiam de erroribus materialibus & formalibus, nisi enim de istis quoque, ut suprà explicatis, fuisset locutus, iterum dico ridiculam rem & hæreticorum exsibilatione dignam Pontifex Proregi Neapolitano, & civitatis nobilibus proposuisset: idque non sine gravissimo contemptu Doctoris Sancti, quem in hoc visus fuisset summè commendasse, quod dixisset numquam fuisse hæreticum, & propterea dignum, qui esset Patronus Civitatis Neapolitanæ.

Sed ad hæc replicabit Pater de Alva. Quomodò Clemens locutus fuerit de erroribus materialibus & formalibus, cùm S. Thomæ Opera scateant utrisque erroribus? Priusquam hoc dictum tuum attingamus Pater Reverende, ne sit quæstio de nomine, quæro ego, quid intelligas per errorem materialem, quid per formalem? Si Theologus es, per errorem materialem intelligere te oportet errorem in doctrina, & similiter per errorem formalem, cum eâ solum differentiâ, quod error materialis, sit error dictus vel scriptus bonâ intentione & sincerâ, quamvis contra veritatem; quo sensu Augustinus dixit, *Errare*

*potero*

*potero & Hæreticus non ero*: Error vero formalis sit error dictus vel scriptus, ex ignorantia v. g. vincibili, scientiâ de errore, & perversâ voluntate. Et hujusmodi erroribus formalibus opera S. Thomæ scateant? Blasphemus est, & infami dignus inuri cauterio, quisquis hoc dixerit. Quod si tu non dicas, corrige terminos libri tui in quo fol. 684. effronter dicis. *Non possunt intelligi verba summi Pontificis de erroribus formalibus, quia opera S. Thomæ, in quibus adducuntur authoritates scripturæ, Conciliorum, atque Sanctorum Patrum sunt plena erroribus.* Quod attinet ad errores materiales, à vero devias, donec vel unum errorem materialem ad sensum supra explicatum, & à Theologis receptum in S. Thoma ostenderis. Neque vero pro erroribus materialibus mihi obtruseris illa, quæ diversis temporibus ex operibus D. Thomæ expuncta sunt: cum enim expuncta sint, quod à falsarijs, S. Thomæ operibus per summam injustitiam fuissent intrusa, hujusmodi errores materiales S.Thomam non tangunt, cum sint extrinseci ejus doctrinæ. Unde opus non fuerat ut à fol. 684. usque ad folium 691. diversa diversorum nostri Ordinis Patrum verba adduceret Pater de Alva, in quibus fatentur se plurima in S. Thomæ operibus correxisse. Nihil enim ipsi attigerunt de doctrina S. Thomæ, sed intrusa lolia, juxta veritatem originalium extruserunt. Neque ulterius inter errores formales computaverit, quod S. Thomas, potissimùm in Opusculo contra errores Græcorum, & adhuc magis in Catena Aurea, adducat authoritates Sanctorum Patrum, non ita litteraliter exscriptas, sed subindè truncatas, vel etiam dumtaxat secundum sensum, de hoc enim dedimus Patri de Alva & Lectori rationem fol. 109. hujus libelli nostri, ubi ostendimus quod S. Thomas in hoc nec minimum errorem, etiam materia-

materialem commiserit, absit quod commisisset formalem. Hæc rursus in communi.

Fol. 679. Profert ex Possevino in suo apparatu sacro hæc verba, de Joanne Duns Scoto: *Cuius doctrinæ grande illud testimonium extat, quod eius libri, absque ullo erroris Nævo, usque ad hunc diem trecentis circiter annis in Oecumenicis Concilijs inviolati permanserint.* Hoc elogium Pater de Alva, vel est verum, vel est falsum? Si falsum, meliùs profectò illud siluisses. Si verum, eodem modo argumentamur contra te, sicut tu argumentaris contra nos, & proponimus tibi argumentum tuum solvendum: quomodò videlicet cum hoc elogio Scoti stet veritas istius universalis tuæ *Omnes erraverunt ab utero & locuti sunt falsa?* Et quærimus ulterius quomodò subsistat censura tua quam das fol. 705. & 706. ubi dicis. *Propositio ista: in doctrina S. Thomæ nullus fuit prorsùs error, est è regione opposita omnibus regulis generalibus Sacræ Scripturæ adductis ab ipsis Thomistis contra immaculatam Virginis conceptionem. Dicit enim Scriptura: omnes nos quasi oves erravimus: omnes declinaverunt: omnes inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: omnis homo mendax: omnia conclusit Deus sub peccato: omnes erraverunt ab utero, & locuti sunt falsa.* Si enim censura illa tua subsistat, ut videlicet hæc propositio, *in Doctrina S. Thomæ nullus fuit error*, sit è regione opposita omnibus illis regulis generalibus Sacræ Scripturæ, multò magis, hæc tua pro Scoto propositio, erit opposita eisdem Scripturæ regulis, in qua dicitur quod non solùm *sine errore* sed etiam sine *erroris Nævo* libros suos conscripserit, vel si posterior hæc propositio non sit opposita, ergò neque prima, & per consequens temerariè eam ut talem qualificasti.

Fol. 692. ad verba Patris Galvan, dicentis propter

prædictum Clementis VIII. de doctrina S. Thomæ elogium; *Ingens prodigium! numquam in tot libris Div. Thomam fuisse lapsum* &c. Irreligiosè, ironicè, & irrisoriè dicit Pater de Alva. *Ingens equidem prodigium est, S. Thomam non fuisse lapsum in scholæ pavimentum.* Quod ad te spectat Pater de Alva, faxit Deus, ut tu non profundius corruas quam super Pavimentum, & non absorbeat te profundum neque puteus æternæ maledictionis urgeat super te os suum, qui paratus est Sanctorum contemptoribus & irrisoribus eorum.

Fol. 697. annullando glorioso illo epiteto quo Clemens Papa VIII. ut supra vidimus, S.Thomam vocavit *Divinæ voluntatis Angelicum interpretem.* Sic habet. *De quo* ( supple epiteto ) *nihil occurrit dicendum: Siquidem omnes Doctores Catholici, Magistri, & Concionatores Orthodoxi, divinæ voluntatis sunt interpretes quandò docent ea quæ ad salutem animæ spectant, imò pro hic & nunc, iuxta superius allegata, potiori iure Robertus Bellarminus appellandus esset Interpres divinæ voluntatis, quatenus doctrinam Christianam, in qua continetur, quid credere debeamus, & quid divina voluntas velit & à nobis petat, in suo Catechismo ad formam & methodum redegit, quod S. Thomas non fecit. Quis enim in rei veritate potest dici interpres divinæ voluntatis? aut ille qui edidit librum, vel libros scholasticos in quibus solum continentur quæstiones & opiniones metapysicæ, & Theologicæ, ubi omnes sunt subtilitates parum vel nihil conducentes ad nostram beatitudinem: an qui edocet, quæ credenda sunt?* Quis patienter audiat verba discursus hujus? Itane verò omnes Doctores Catholici, Magistri, & Concionatores orthodoxi, divinæ voluntatis Interpretes sunt, sicut S. Thomas? Et potiori jure Bellarminus quod composuerit aliquem Catechismum? Cave Pater Reverende ne tam profundè

fundè S. Thomam diminuas, ut & te ad nihilum redigat,& citius fortassis quam putares. Væ enim illis qui destruere nituntur Doctoré Ecclesię: quia veniet dies in illos nisi resipuerint, in quo, & in destructionem eorum, pro Sancto Dei, omnis creatura consurget in eorum interitum sempiternum. Et adhuc magis præmendo verba tua: S. Thomas nihil habet nisi quæsti ones Metaphysicas & Theologicas, ubi omnes sunt subtilitates parum vel nihil conducentes ad nostram beatitudinem? Audit Ecclesia hæc verba & silet? Audit hæc dicta impietatis, nec in camo & fræno maxillas dicentis constringit? Miserum Thomam! quod omnes dies vitæ tuæ, viginti inquam & quinque annos, meris scribendis subtilitatibus, parum vel nihil conducentibus ad nostram beatitudinem consumpsisti. Cui Thoma, cui laborasti? Secundum Patrem de Alva, nec tibi nec nobis, sed soli subtilitati. O frustraneos labores tuos! Quid approbavit de doctrina tua Christus? Quid explicaverunt visibiles tibi Petrus & Paulus Apostoli? Quid Spiritus Sanctus auri tuæ insufflavit? Secundum Patrem de Alva, subtilitates nihil conducentes ad nostram beatitudinem. Pro quo toties humiliasti animam tuam jejunijs & orationibus, quas adeò etiamnum Coloniæ Agrippinæ studens multiplicasti, ut utrumque genu tuum, cellulæ tuæ impressseris tabulato? Ut divinitus & è cælo, inutiles intelligeres subtilitates. Iterum dico miserum Thomam, cujus dies & anni, cujus omnes labores & studia, orationes & jejunia in meras subtilitates evanuerunt. De reliquo hujus dicti tui Pater Reverende irreligiosam calumniam tamquam indignam responsione, non diluo. Hoc solum inquiro quid scripserint Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, & cum istis enumera omnes reliquos Docto-

res Ecclesiæ, imò & Scotum tuum: quid scripserunt? Quoad illum ultimum ipse saltem non scripserit secundum te meras subtilitates. Ille scripsit conducentia proximè ad nostram beatitudinem: non ita verò D. Thomas, licet in prima parte suæ Summæ tractet de objecto nostræ beatitudinis, de Deo videlicet trino & uno: licet in secunda parte, de actibus quibus ad possessionem objecti beatifici pervenitur: licet in tertia parte, de medijs necessarijs ad beatitudinem, videlicet de Sacramentis. Sed piget horum cathalogum texere, cum luce clarius pateat invidiosa Patris de Alva impostura, apud omnes qui vel solùm doctrinam S. Thomæ à longè salutaverint, accedentibus potissimum ad eam Summorum Pontificum testimonijs jam probatis.

## NODUS XII.

IN hoc Nodo proponitur Elogium S. Thomæ datum à Paulo V. in quibusdam litteris sub annulo Piscatoris, his verbis: *Splendidissimi Catholicæ fidei Athletæ Thomæ Aquinatis, cuius Scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit, honores & venerationem indies magis magisq; augeri, plurimum in Domino gaudemus.* Quod attinet ad verba illa, cum dolore intrinseco cordis, tenetur ea admittere, & reipsa admittit fol. 714. Nec tamen in ijs vult agnoscere approbationem aliquam doctrinæ D. Thomæ. Verùm nos nihil curando de ipsius malevola voluntate, in illis verbis dicimus procul dubio approbatam doctrinam D. Thomæ: nisi enim talis foret, eam *Clypeum Ecclesiæ* Pontifex Maximus non nominaret. Et verò si S. Thomas Ecclesiæ CLYPEVS sit, non quiescet Pater de Alva nisi tela aliqua alterius

generis

generis contradictionis in CLYPEVM istum contorserit. Et folio quidem 729. arripit unum ex principalioribus,ut loquitur,hæreticorum telis, quo volunt impugnare imò & expugnare Ecclesiam Catholicam. Et hoc eorum telum ut loquitur fol. 729. *Est propositio ista : Virgo Maria fuit concepta in peccato originali.* Hoc igitur telum, hanc propositionem validâ manu arripit eodem folio & dicit *Inquiro : an inter scripta S.Thomæ sit aliquis clypeus contra telum istud?* Ad hoc possem ego, salvis etiam constitutionibus Apostolicis tibi respondere Pater Reverende, sed supersedeo, ne videar vel in specie, tangere Conceptionem. Inquiro tamen, quomodò hæc propositio: *Virgo Maria fuit concepta in peccato originali*, sit telum quo hæretici volunt impugnare, imò & expugnare Ecclesiam? An quod hujusmodi propositio hæretica sit? hoc non dicet, nisi excommunicatus. Ergò non est hæretica. Quod si non sit, ineptè inquirit Pater de Alva, utrum in scriptis D. Thomæ sit aliquis clypeus contra telum istud? In eo enim quod doctrina D. Thomæ dicitur CLYPEVS, quo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit, intelligendum venit, quod sit CLYPEVS contra hæreticorum hæreses & infames errores, qui sunt tela quibus conantur expugnare Ecclesiam. Et contra hujusmodi tela doctrina D. Thomæ CLYPEVS est. Et adeò quidem impenetrabilis, ut quantumcumque validâ quis manu qualiacumque spicula contra illud jecerit, casso ictu reditura sint retrorsum.

Fol. 732. Ex indulgentiâ aliquâ concessâ à Paulo V. recitantibus Antiphonam aliquam de Immaculata Conceptione, infert: *Ergo ex Apostolico expresso Testimonio habemus approbatas istas propositiones: Virgo Maria fuit virga sine Nodo originalis culpæ, & conceptio eius est immaculata.* Consequentiam probat

 hoc

hoc assumpto. Paulus V. concessit Indulgentias pro re falsa, & non Catholica? Idipsum ego assumo contra Patrem de Alva, & ex hoc ipso infero, reipsa Christum Dominum approbasse doctrinam D. Thomæ per verba illa: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA, de quo suprà. Etenim Pius V. similiter concessit Indulgentias intuitu imaginis Christi crucifixi, qui allocutus fuerat S. Thomam, ut fatetur Pater de Alva fol. 547. Ex quo similiter ego inquiro. Pius V. concessit Indulgentias pro re falsa & non Catholica? sicut Pater de Alva respondet ad suam interrogationem, sic nos respondemus ad nostram, non utique dedisse pro re falsa, sed pro historia piè credibili.

Fol. 738. dicit Pater de Alva: *Quid denique dicent hæretici, nisi quod ex vomeribus Catholicus, faciunt ipsi enses?* Hoc rectè in ipsum cadit qui CLYPEVM Ecclesiæ, de quo dixisse fertur Bucerus: *Tolle Thomam & dissipabo Ecclesiam*, conatur contundere, tollendo omnem ejus authoritatem. Ipse pro certò in hoc fabricat enses pro hæreticis, ne amplius formident eum, cujus sermonibus usque nunc non potuerunt resistere, cujus scriptis infinitas intelligebant confusas hæreses & dissipatas. Atque ea est causa cur in hoc libello meo subindè acriùs visus sim Patri de Alva restitisse: non enim ferre potest zelus non tantùm Religiosus sed & Catholicus, Quintum Ecclesiæ Doctorem, Clypeum Ecclesiæ, hæreticorum exponi ludibrio, & apud eos à viro Catholico minorari.



NO-

# NODUS XIII.

IN toto hoc Nodo agitur de Commendatione quadam doctrinæ S. Thomæ, quæ facta dicitur per Seraphicum Patrem S. Franciscum Fratri cuidam Eleutherio de Ordine Minorum, per verba illa: CREDE HVIC (id est D. Thomæ) QVIA EIVS DOCTRINA NON DEFICIET IN ÆTERNVM. Undè Nodum hunc decimum tertium, non incongruè Nodum S. Francisci appellavero. Et quidem hunc Nodum non reliquit nobis P. de Alva solvendum sicut præcedentes, sed violenter eum scidit per detractorium & irrisorium verbum suum, penetrabilius omni gladio ancipiti, quod profectò ferè pertingeret usque ad utriusque, nostri & ipsorum Ordinis, divisionem. Quis enim Nodus S. Francisci, nisi ille, quem SS. Patriarchæ Franciscus & Dominicus post horribilem illam Christi irati, & mundo extrema minitantis visionem, composuerunt: dum mutuos inter amplexus, charitatis indubiè perfusi lachrimis, æternum concordiæ fœdus inierunt dicentes alter ad alterum: *Stemus simul, & nullus adversariorum prævalebit?* Nodus profectò S. Francisci Nodus est charitatis, quo in protoparentibus nostris Francisco & Dominico, alter ad alterum utriusque Ordinis Filij, quadringentis plus annis fuimus colligati. Huic charitatis Nodo conservando paribus studijs & ad mutuam (piam tamen) æmulationem non ita pridem studuerunt utriusque Ordinis Generalia Capita. Ex parte FF. Minorum Toletanum. Ex parte nostra Valentinum, celebratum anno 1647. In cujus Actis legis hæc verba Ordinatione 18. " Cum Sera-„phica S. Patris Francisci Religio nostrum Ordi-

 nem

„nem charitatis fraternæ brachijs complexa, in ulti-
„mis Comitijs, quæ Fratres Minores de observantia
„Toleti habuere; seriò ordinaverit, quod Magister
„Ordinis, Provincialis, Priores, cæterique nostri Or-
„dinis Prælati & Fratres, ad instar propriorum in
„suis Conventibus recipiantur & respectivè hono-
„rentur: idque cum effectu, summâ cum charitate
„præcipuè erga personam Reverendissimi Patris Ge-
„neralis nostri, executioni demandaverint: ideò ut
„& debitum gratitudinis officium rependamus, &
„foveamus illum divinæ charitatis ignem, quem in
„cordibus nostris ardere erga præfatos, Sanctus Pa-
„ter Dominicus præcepit, aliàs ordinata à nostris
„constitutionibus innovantes, omnibus & singulis
„Prioribus seu Conventuum & locorum Præsidenti-
„bus mandamus, ut Fratres omnes Minores & præ-
„cipuè de Observantia, sicuti nostros charitativè
„in suis Conventibus recipiant eorumque Prælatos
„& præcipuè Reverendissimos Patres Generales,
„cum omnibus reverentiæ & charitatis indicijs ho-
„norent, ac venerentur. Atque interim ordina-
„mus ut quotiescumque in tertijs ferijs fit Officium
„de S. Patre Dominico, fiat etiam Commemoratio
de S. Patre Francisco." Cæterùm quasi parùm ac mi-
nus foret, pro nostro in Sanctum Patrem Francis-
cum affectu, si illis tertijs dumtaxat ferijs de eo
fieret commemoratio; Capitulum Romanum
anno 1650. celebratum, ordinatione prima circa Fe-
stum ejusdem Sancti à nobis celebrandum, hæc de-
cernit." Ad fovendam augendamque avitam quæ
„à sanctissimis Patriarchis nostris Francisco &
„Dominico inter ipsa Ordinum cunabula filijs
„utrimque inviscerata atque hactenus culta fuit
„mutuæ charitatis & observantiæ necessitudinem,
„Ordinamus quod Festum Seraphici Patris nostri
Fran-

„Francisci, cum Octava & memoria, quæ nec in du-
„plicibus & suprà, nec in octavis solemnibus possit
„intermitti, item Festum impressionis Sacrorum
„stigmatum ejusdem, 17. Septemb. & Festum Sera-
„phicæ Virginis S. Claræ Ordinis Minorum, 12.
„Augusti sub ritu duplicis toto Ordine celebrentur.
„Confirmantes insuper Ordinationem 18. ultimi
„capituli Valentini, quod in omnibus tertijs Ferijs
„quibus ex more fit Officium de SS. Patre nostro
„Dominico, fiat quoque memoria in Vesperis, Lau-
„dibus & Missa de S. Patre nostro Francisco. Et ne hæc ordinatio ad Solius S. Francisci gloriam facta videretur, (quamvis & in Patre honorentur Filij) sed & membra Religionis Seraphicæ, de Dominicanæ charitatis sinceritate caperent experimentum simul & fructum, ordinavit idem Capitulum, ut pro Seraphica (verba sunt capituli) *nostreq; Germana Religione S. Patris nostri Francisci, eiusq; flore & incremento*, quilibet Sacerdos, diceret unam missam: sicut & alteram pro animabus Fratrum & Sororum ejusdem Ordinis Seraphici defunctorum. Neve ullus ab exhibitione charitatis exciperetur, ubi Sacerdotibus Missam, Clericis Litanias omnium Sanctorum, Conversis verò decies *Pater noster* & totidem *Ave Maria* injunxit. Binam hanc similiter Missam, eâdem intentione & pro ijsdem, injunxit omnibus & singulis religiosis Ordinis nostri, & alterum ultimò in nostro Ordine Capitulum Generale celebratum Romæ Anno 1655. Hi sunt effectus Dominicanæ charitatis, vel si malueris quantulacumque debiti nostri persolutio: (debitum enim chatitatis urget nos.) Ut enim emphaticè Clemens IV. FRATER PRÆDICATOR REPROBVS EST QVI MINORES NON DILIGIT. Cæterùm utinam & alteram partem copulæ seu verborum Clementis, intel-

 lexisset,

lexisset, aut vel nunc intelligeret Pater de Alva, quæ hujusmodi est: ET FRATER MINOR EXECRABILIS, QUI PRÆDICATORES ODIT ET CONTEMNIT. Et verò si Frater Minor execrabilis qui Prædicatores contemserit, qualis erit qui contemserit Prædicatorum Sanctos? Cæterùm quis contemsit, inquies, Prædicatores, vel eorum Sanctos? Illos contemsit qui integrum Prædicatorum Ordinem in Capite & principalioribus membris, temerariè prædicat falsarium Bullarum Pontificalium; irridet in verbis, describit in factis, dehonorat in Sanctis, contemptorem dicit Mariæ & Ecclesiæ &c. Sanctos contempsit, qui S. Antoninum sæpiùs irridet; cujus intentio est deturbare S. Thomam à possessione Angelici, Divinæ voluntatis interpretis, Quinti Ecclesiæ Doctoris, cujus intentio labefactare ejus gloriam, tollere encomia, honorum titulos & laudes, & ita infamiter doctrinam ejus traducere, ut eam dicat scatere erroribus, condemnatam in hæresibus, parum utilem pro infidelium conversione aut fidelium juvamine; dum solùm continet Quæstiones Metaphysicas, ubi omnes sunt subtilitates parum vel nihil conducentes ad nostram beatitudinem. Si ulterius progredi voluero, scietis utique quem contemptorem hunc indigitavero; solùm enim nomen deest, quia virum scitis. Nec execrabilem tamen eum vocavero, licet ostendero contemptorem. Sed laudavero eum potiùs quod feratur fervore alterius sententiæ, & pro illius laboret definitione: sed quod ad finem bonum, & nobis optabilem, assumat media improportionata adeò, nociva adeò charitati, ut eorum executio sit fraternæ unionis ruptio, quomodò in virum Religiosum & Franciscanum quidem inciderit non intelligo. Et multò minùs quomodò sui, quorum erat, nobiscum tenere unitatem Spiritus in vinculo

pacis

pacis abortivum illum conceptum, priusquam videret ortum surgentis Auroræ dignus occludi tenebris sempiternis, non suppresserint. Hæc non intelligimus, scimus tamen quod nullus omnium Ordinis Minorum hujus Patriæ (modo unum excipias) libro subscripserit. Signum evidens indignitatis. Cæterum ex hoc Nodo nostro quem intitulavimus Nodum S. Francisci, descendamus ad Nodum Patris de Alva. Et quidem ab ipso titulo Nodi incipiendo dicit Historiam illam de Eleutherio esse à nobis confictam, quod idem continuò repetit per totum Nodum suum, & fol. 741. se dicit probare ex quatuor capitibus. Primò ex regula illa generali quod illa censenda sint tamquam falsa, quæ à junioribus sine delectu citantur, non assignato certo libro, aut tractatu, vel non citato capite. Probat illud secundò ex eo quod Historia illa seu revelatio facta Fratri Eleutherio, non habeatur in R. P. Joanne à Jesu Maria, ex quo tamen dicimus eam extraxisse. Probat tertiò ex eo quod prædicta revelatio inventa fuerit sub nomine incogniti, ut dicit, Eleutherij, ad Annum 1620. ut enim loquitur fol. 743. *usque ad annum 1620. numquam audita fuerat in mundo, sicut nec nomen illius Eleutherij Minoritani.* Denique probat quartò, ex eo quod prædicta revelatio non inveniatur in aliqua Chronica Ordinis Minorum, nec Ordinis nostri.

Quod ad nos attinet ut manutencamus revelationem istam seu approbationem doctrinæ D. Thomæ factam à S. Francisco, conati nos oportet ut respondeamus suprapositis argumentis Patris de Alva. Et illis quidem universaliter solvendis, utor relatione ejusdem historiæ factâ à Reverendo & Venerabili Domino Joanne Gilemans Canonico quondam Regulari, & Suppriore in Monasterio Rubeæ Vallis propè

propè Bruxellas, Viro exemplaris, Sanctæ & Religiosæ vitæ, & qui fato cessit Anno 1587. Ille igitur Venerabilis Pater primo tomo suorum manuscriptorum (scripsit enim quinque Tomos in folio) fol. 297. cap. 86. cujus titulus est: *De visione Fratris Minoris in qua S. Franciscus apparens testimonium perhibet doctrinæ S. Thomæ*, sic habet: *Frater Eleutherius de Ordine FF. Minorum cùm esset in quadam quæstione perplexus, & in libris S. Thomæ negligeret quærere veritatem, devotè oravit, & S. Franciscum invocavit, ut sibi veritas panderetur. Et ecce vidit in visione S. Franciscum & S. Thomam de Aquino Cappâ Stellis splendidis ornatâ indutum: & super ipsum Matrem Dei cum Filio, duas Coronas splendidas in manu tenentem, & super ipsorum capita imponentem. Cumque tali visione plurimùm delectaretur, audivit S. Franciscum dicentem sibi:* CREDE HVIC *(ostendens & indicans sibi S. Thomam)* QVIA EIVS DOCTRINA NON DEFICIET IN ÆTERNVM, *qui evigilans, & scripta S. Thomæ legens, de dubio suo certificatus extitit cognitâ veritate. Prædictus verò Frater Eleutherius pluribus istud postmodùm narravit.* Huc usque verba prædicti Domini Ioannis Gilemans scripta indubiè à ducentis jam & amplius annis cum illa habeantur in primo ex quinque crassissimis Tomis in magno & lato folio, quibus conscribendis vix tota hominis vita videtur sufficisse. Lectâ hâc relatione, an adhuc ficta manet à nobis, Pater Reverende, allegata à nobis revelatio? sed fortè non credis eam referri à prædicto Domino Gilemans. Ut credas, scias me suprapositam historiam exscripsisse ad litteram, & quidem ita litteraliter: ut duo prædicti Monasterij Religiosi, quorum alter vocatur R. D. Ægidius de Roy, Theologiæ ibidem Lector, alter verò R. D. Augustinus Lancilottus de Bruyne, subsignatione suâ testimonium perhibuerint concordantiæ & legalitati.

His

His ita statutis, quæro iterùm, an adhuc prædicta revelatio ficta sit? eousque profectò manebit subsistens, donec Paternitas vestra, P. Reverende, summæ inter suos & exteros virum fidei & authoritatis probaverit impostorem. Et descendendo ad tua suprapofita argumenta. Ecce tibi cito, licet ego Juvenis sim, antiqui Auctoris à ducentis prope annis mortui, determinatum librum, Tomum videlicet ejus primum de quinque manuscriptis: cito caput, octuagesimum videlicet sextum: imò & folium libri, ducentesimum videlicet & nonagesimum septimum. Ergò, primum tuum argumentum non subsistit. Et multò minùs tertium in quo dicis quod usque ad annum 1620. ista revelatio seu historia numquam audita fuerit in mundo, sicut nec nomen istius Eleutherij Minoritani. Quomodò enim fuerit ad annum 1620. adinventa, & ut loqueris, ante illum annum mundo incognita, quæ invenitur manuscripta intra nominatissimos libros à ducentis propè, imò & ampliùs annis? Quoad secundum tuum argumentum, quod eamdem illam historiam dicis non inveniri in illo Reverendo Patre Ioanne à Iesu Mariâ, ex quo tamen dicimur eam extraxisse, non multùm me immisceo, dum ego veritatem istius revelationis seu historiæ fundare possim, imò & probavero ex Scriptore intemeratæ fidei prænominato suprà Ioanne Gilemans, qui centum & ampliùs annis P. Ioannem à Iesu Maria antecessit. Quod attinet ad quartum & ultimum argumentum, quod non inveniatur supradicta sæpiùs revelatio in aliqua Chronica Ordinis nostri vel Ordinis Minorum, & de illo etiam, multò minùs me immisceo, quàm de suprapòsito: dum ex prædicto Venerabili Domino Ioanne Gilemans constet veritas ejusdem revelationis, & ex consequenti mereatur aureis etiam litteris in aliqua Chronica

saltem

saltem Ordinis nostri inscribi ad perpetuam rei memoriam.

Probatâ jam subsistentiâ & veritate hujus de qua nunc egimus historiæ, & responsione datâ ad argumenta Contrarij quid remanet pro S. Thoma gloriosum, quid indecorum usque ad erubescentiam pro Patre de Alva? pro S. Thoma remanet, quod juxta Propheticum dictum Seraphici Patris Francisci DOCTRINA D. Thomæ NON DEFICIET IN ÆTERNVM. Minoretur invidorum conatibus, detrahatur illi irreligiosis obloquijs, labefectetur malevolorum non sanis ausibus, NON DEFICIET IN ÆTERNVM. Vilipendatur à Patre de Alva ut in multis erronea, despiciatur ab eodem ut condemnata secundum se totam, vel aliquam sui partem, à Stephano Pariensi, tamquam hæretica: proponatur ab eodem Patre de Alva ut inutilis ad nostram Beatitudinem: teste S. Patre Francisco, NON DEFICIET equidem IN ÆTERNVM. Etsi totus Orcus, infernalibus excitus specubus & universa hæreticorum colluvies junctis armis, eam impugnaverint: etsi quæcumque undecumque exorta tempestas eam concutere conata fuerit, NON DEFICIET IN ÆTERNVM. Consolare proindè consolare Schola Thomistica, nec te moveat quantumcumque gravis & injuriosa Patris de Alva contra Angelicum Doctorem intenta conquassatio: sed magis moveare Seraphici Patris Francisci dicto Prophetico: QUIA DOCTRINA EIVS NON DEFICIET IN ÆTERNVM. Hæc perpetuitas durationis doctrinæ Angelicæ remanet pro Sancto Thoma, profectò gloriosa. Pro Patre verò de Alva nomen remanet temerarij impostoris; temerarij profectò, cui hactenùs sufficit dijudicare Sanctum Thomam non ex amore veritatis, sed ex ejus invidiâ & æmulatione doctrinæ: cui sufficit addu-

cere

cere potuisse apparentia quædam & verisimilia contra S. Thomam colorata mendacia, ad Simplices dementandum, & Sapientes seducendum à doctrina Angelici Magistri. Si hæc feceris Pater Reverende ex intentione, si sciens & volens, indignissimam certè & æternæ maledictione dignam rem excogitasti. Sin autem cum fundamento usque nunc te credideris progressum, discas imposterum non asserere & affirmare, nisi quæ potueris demonstrare seu probare. Sed quidquid asservi (inquies) demonmonstravi & probavi. Tantùm abfuit ut probares, quod nec semel aliquid contra nos eviceris, sed ubique inventus fueris minùs habens de veritate, plurimum vero de falsitate & mendacio. Et vero quis credidisset quod Tu qui Lector Jubilatus, qui Qualificator Supremæ Inquisitionis, qui vir censebaris omni exceptione major, quis inquam credidisset, quod ita devies à semitis sinceritatis? Vel solus rumor doctrinæ, & nominis tui, videbantur contra Ordinem nostrum & Quintum Ecclesiæ Doctorem conclusisse: & apud nos quidem in principio timori eras & reverentiæ ex eo quod ita asseveranter in Nodo tuo indissolubili contra nos ligato procederes; & vera timebamus dicta tua: Nunc verò denudata tua vel malitiâ vel ignorantiâ in hoc tuo Nodo indissolubili: in alijs quoque libris tuis vel à te scriptis vel scribendis, te ubique similem tui credimus, infelicissimum videlicet in proponendo, seu attingendo veritatem. Sed de hoc satis ne dum nos veritatem dicimus, dicentibus veritas odium pariat. Accedimus proindè his relictis ad Nodum decimum quartum, hoc solùm præmisso, ut videlicet in secunda editione Nodi tui indissolubilis contra quem præsenti-liter agimus canas palinodiam, & restituas hoc potissimum à Sancto Patre nostro Francisco,

Divo

Divo Thomæ datum elogium, & fatearis quod juxta eumdem S. Patrem tuum, DOCTRINA EIVS NON DEFICIET IN ÆTERNVM.

# NODUS XIV.

IN hoc Nodo decimo quarto proponit Pater de Alva quatuor Officia Ecclesiastica de S. Thoma, & quatuor alia de Mysterio immaculatæ Conceptionis: atque universus ejus discursus tendit ad hoc, ut siquidem legitima sit consequentia apud Nos: tale vel tale elogium recitatur in officio de S. Thoma: ergò est verum: similiter & hæc sit legitima: Diva Virgo dicitur in Officio Ecclesiastico & approbato quidem à Summis Pontificibus concepta sine peccato originali: ergò reipsa taliter est concepta. Quod attinet ad has & similes consequentias, ubique mei memor, & ne dicar Mysterij Conceptionis impugnator, nec digito eas attingo: transeant proindè omnes, & subsistant.

De reliquo priusquam accedam ad Nodum XV. hæc in particulari velim notari. Primò quod Pater de Alva fol. 748. dicat de Festo S. Thomæ, quod ante Sixtum IV. solum esset Festum simplex in Ecclesia Romana. Si hoc dicatur in diminutionem Angelici Doctoris, nescio: Deus scit. Hoc ego scio, quod pari modo ante tempora Bonifacij VIII. Festa Primorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, Hieronymi, Gregorij & Ambrosij solum celebrarentur sub ritu Festi simplicis. Uti enim patet, ex Sexto Decretalium Bonifacij VIII. titulo 22. de Reliquijs & Veneratione Sanctorum cap. 1. illic idem ipse Bonifacius præcepit supradictorum quatuor Ecclesiæ Doctorum Festa sub Officio duplici celebrari. Ex

quo

quo manifestè deducitur, quod ante hujusmodi præceptum & per consequens ante tempora Bonifacij ad summum sub ritu Officij simplicis, eorumdem Doctorum Festa celebrarentur. Proindè quod Officium de S. Thoma solum fuerit ante tempora Sixti IV. celebratum sub ritu Officij simplicis, non plus potest vergere in diminutionem S. Thomæ, quam quod vergat in diminutionem aliorum quatuor Ecclesiæ Doctorum, quod eorum officia solum sub ritu etiam Officij simplicis ante tempora Bonifacij VIII. celebrarentur.

Velim secundò notari, quod Pater de Alva fol. 764. dicat breviarium nostrum in quo recitantur Elogia D. Thomæ, in Nodo indissolubili impugnata, nec in communi, nec in particulari approbatum umquam ab aliquo Pontifice, *Deo*, ut loquitur, *Sic permittente, quousque corrigantur illa superius signata de approbationibus Doctrinæ S. Thomæ, quæ à veritate sunt prorsus aliena.* Si in breviario nostro recitemus quædam mendacia detecta per Patrem de Alva; supplicamus illa expungi per Romanam Ecclesiam, ne fabulosa sint Ecclesiastica Officia. Cæterum, quod nullum huc usque Pater de Alva, quamvis montes parturire visus sit, mendacium contra nos detexerit, rogamus expungi, inter cætera per eamdem sedem Romanam ex Nodo ejus indissolubili supra posita ejus verba, nimis profectò irreligiosa, tendentia non ad nostram dumtaxat ignominiam; sed etiam vergentia in dedecus ipsius Ecclesiæ, quæ secundum dicta Patris de Alva, permisisset inter suos Fideles, per duo forsan & amplius Sæcula fabulosas Historias recitari.

Velim tertiò & ultimò notari quod fol. 784. dicat, quod S. Thomas secundum nos fuerit purus, seu habuerit puritatem in primo instanti vitæ suæ

Hoc, ipse contra nos inverecundè somniavit: nullus enim nostrum, illud vel cogitavit, absit quod dixerit. Quod si quis dixerit, velim eum adduci per Patrem de Alva ne dicatur ipse falsò locutus, dum ego interea procedo ad Nodum XV.

## NODUS XV.

IN hoc Nodo agitur de Juramento Universitatis Salmanticensis de sequenda doctrina SS. Augustini & Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis. Sciendum igitur est, quod prædicta Universitas, ad stabiliendam sinceram, securam, & certiorem doctrinam, Teste Patre de Alva fol. 795. Nodi sui indissolubilis, Anno 1627. die 9. mensis Junij hujusmodi juramentum emiserit cum omnibus existentibus in claustro seu Universitatis Congregatione.

*Iuro in quotidianis lectionibus, quas in Academia, vel cathedræ moderator, vel voluntarius professor legero, me docturum atque lecturum in Theologia scholastica, doctrinam Augustini, & conclusiones Divi Thomæ, quas in Summa Theologiæ docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit, ubi verò anceps, & dubia, nihil docturum, neque lecturum, quod eorum doctrinæ adversari senserim, sed quod vel iuxta meum sensum, vel eorum, qui discipuli Sanctorum Augustini, & Thomæ communiter censentur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme iudicaverim. Excipio opinionem de immaculatæ Virginis Conceptione: & ea, quæ iure Ecclesiastico immutata sunt vel posteà immutabuntur, & quæ olim cum in controversia essent, iam constitutionibus Apostolicis diffinita sunt. Et si aliquandò cathedram Scoti, vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantum tempore probabiles eorum Doctorum opiniones sequi absque periurij crimine.*

Quod

Quod attinet ad hoc juramentum, fuisse illud factum ab Universitate Salmanticensi, negare Pater de Alva non audet. Ex quo dignoscitur quanto in pretio fuerit à paucis retro Annis Salamanticæ Doctrina D. Thomæ. Cæterùm idem Pater de Alva, fol. 795. in ipso titulo Nodi XV. & iterum fol. 805. dicit juramentum illud, ad instantiam & importunam scriptionem sex Patrum de Ordine FF. Minorum fuisse statim abrogatum à Concilio Supremo Regio. Utrum in hoc verum dicat Pater de Alva, non multum me immisceo, dum mihi constat ex unius de Ordine FF. Minorum Lectoris quoque Jubilati, & supremæ inquisitionis Qualificatoris ore, & qui quatuordecim ut loquebatur annis Salmanticæ & studuit & docuit, hodierna etiam die illud juramentum observari. Sed nec observetur, sed à Concilio regio fuerit annullatum propter importunas apud idem Concilium per Fratres Minores habitas preces vel supplicationes, quibus allegabant hujusmodi juramento injuriam fieri Scoto suo, & Seraphico Doctori Bonaventuræ, & eorumdem ibidem Cathedris: non inde profectò deperijt ejusdem Universitatis erga doctrinam D. Thomæ æstimatio. Non enim quod violenter ad importunas quorumdam preces foret immutatum, tollit internam æstimationem justitiæ, legis sancitæ.

In particulari in hoc Nodo hoc solum velim notari, quod Pater de Alva fol. 821. dicat, quod *Doctores illi Salmanticenses*; (verba ejus sunt eodem folio) qui videlicet jurarunt in doctrinam D. Thomæ, *ubicumque aliqua volebant dicere de doctrina S. Thomæ quæ prima facie videbantur dura, & minimè concedenda pro doctrina S. Thomæ precisè; semper adiungebant B. Augustini doctrinam, ut cum hac quam omnes Doctores Catholici, imò & heretici concedunt, & venerantur, ali-*

tera transiret, ut dicitur Hispanicè: *Dorada la pildora: Escogio buen padrino: Cubierta con buena capa* &c. Profectò quòd spectat ad Doctrinam S. Patris Augustini, cum eam S. Thomas non minus fecerit, imò præposuerit suæ, eam S. Thomæ doctrinæ non postponimus. Si etiam propter hoc apud Patrem de Alva nominemur *bestiales*: patientia. De reliquo non indiget Doctrina D. Thomæ, ut falsò assumit adversarius noster, doctrina S. Patris Augustini tamquam pallio seu tegumento, quo protecta transiret, quamvis & in hoc summè commendabilis sit, quod adeò conformis sit S. Augustini principijs, ut teste Sixto Senensi lib. 4. suæ Bibliothecæ Sacræ, *Communi doctissimorum omnium adagio iactatum sit Augustini animam migrasse in Thomam.* Enim verò per se ipsam talis est quæ se sola non transire dumtaxat posset, sed quæ, & si S. Augustini Doctrina modò non existeret (quamvis & ex ea, ut iterum dixi, reddatur commendabilior) tereretur omnium manibus, studijs evolveretur. De veritate hujus dicti mei judicet qui hæc legit, dum ego me accingo, post XV. Nodos Patris de Alva, ad compositionem Nodi XVI.

## NODUS XVI.

INter approbationem certam, indubitatam, subsistentem, & in suis originalibus usque in præsentem diem existentem in archivis Theologicæ Facultatis Lovaniensis, factam pro doctrina Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis, à Sanctissimo Domino Alexandro VII: & quatuordecim alias approbationes quas in Nodo suo indissolubili R. Pater de Alva & Astorga, conatus fuit temerario ausu osten-

ostendere fuisse fictas à nobis & somniatas, ligatus contra eumdem Patrem de Alva ab Auctore hujus libelli.

Alexander Papa hujus nominis Septimus, Pontificatus sui anno sexto die 7. Augusti Anno 1660. litteras seu breve dedit sub annulo Piscatoris ad Almam Universitatem Lovaniensem, quarum hujusmodi tenor est de littera in litteram notoriè extractus ex ipsis originalibus.

ALEXANDER PAPA VII. Dilecti Filij salutem & Apostolicam benedictionem. *Litteras vestras die 20. Martij datas accepimus; Et in eo sanè quòd quinque propositiones illas tam in constitutione Fel. Record.* INNOCENTII X. *Prædecessoris nostri, quàm in alia nostra posteà damnatas tantoperè detestemini, ut neminem admittere ad gradus Academicos velitis, nisi priùs religiosam observantiam prædictarum Constitutionum promittat & iuret; obedientiam & zelum vestrum unicè commendamus, atque adeò speramus, vos nedum id egregiè, perfanctèq; impleturos, verùm etiam omnibus alijs in hanc Sanctam Sedem observantiæ & obedientiæ documentis effecturos, ut omni rerum præteritarum ex hominum animis evulsâ, & penitùs abolitâ memoriâ pristinum decus existimationi, & laudi antiquæ vestræ restituatur. Ad hanc igitur salutaris obsequij gloriam verè constanterq; promerendam, quamvis uti credimus eximiè currentes, vos Dilecti Filij etiam atque etiam quantum possumus hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus, quin vos pro singulari scientiæ pietatisq; studio sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis: nec non Præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum* AUGUSTINI ET THOMÆ AQUINATIS INCONCUSSA TUTISSIMAQUE DOGMATA

*MATA sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis; quorum profectò Sanctissimorum Virorum penes Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi præconij commendatione planè non egent. Porrò bonorum omnium largitorem Deum oramus, ut vobis, Dilecti Filij, cùm pacis, divinâ tandem Clementiâ restitutæ prosperitate, cælestis gratiæ munera tueri, & augere quotidie pro misericordia sua velit. Ad quod feliciter consequendum Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 7. Augusti 1660. Pontificatus nostri Anno sexto.*

Hæc vera sunt quæ de Thoma scripsisti Pater Sanctissime, an falsa? profectò non falsa, quia scripta à Pontifice, ab ipso capite Romanæ Ecclesiæ, & integerrimo amatore veritatis: ergò vera sunt: quod si vera, ponderet quilibet in judicij sui lance temeritatem Patris de Alva, quâ doctrinam D. Thomæ, INCONCUSSA TUTISSIMAQUE EIUS DOGMATA, proponit ùt erronea, & concutere nititur tamquam falsa. Sed concuti ea oportet, ut inconcussa maneant. inconcussa sunt, & manebunt, imò verò ex ipsa contrariorum concussione stabilientur magis & radices mittent profundiores.

Verùm ne perfunctoriè hæc Alexandri VII. pro S. Thoma data elogia transeamus, sed conficiamus intentum à nobis Nodum quæro ego ulterius utrum Summus Pontifex non habuerit notitiam elogiorum & laudum ante hac pro S. Thoma datarum, istarum etiam omnium quas Pater de Alva dicit à nobis pro S. Thoma confictas & somniatas? indubiè quod habuerit. Quod si habuerit ergò & eas universaliter tanquam jure meritò datas approbavit. Consequentia facili negotio probatur. Dicit enim Summus Pontifex quod S. Augustini & D. Thomæ no-

mina novâ commendatione planè non egeant, ergò commendationes antiquas admittit ut jure meritò datas; dicit quod omnem laudem, usque tunc videlicet datam, eadem eorumdem ingentia nomina sint supergressa, ergò omnem laudem, D. Thomæ antecedenter attributam approbavit, nec approbavit tantùm, sed & minorem ipsius meritis esse censuit. Ex quo texo ego hunc discursum in honorem Angelici mei Magistri. Approbarit Stephanus Parisiensis Episcopus cum Academia Parisiensi, doctrinam Divi Thomæ, tamquam qui nihil senserit, docuerit, vel scripserit quod sanæ fidei vel bonis moribus adversetur: Alexander est qui ut talem eam approbat. Voluerit Urbanus V. & præceperit Academiæ Tholosanæ ut B. Thomæ doctrinam tamquam veridicam & Catholicam sectarentur: Alexander est qui id ipsum hortatur fieri ab Academiâ Lovaniensi. Dixerit Innocentius VI. de doctrina D. Thomæ quod præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habeat proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam &c. illud ipsum in supra positis verbis suis Alexander VII. censetur docuisse. Testificati sint pro integritate doctrinæ D. Thomæ Christus Dominus, Beatissima Virgo Maria, Apostoli Petrus & Paulus: Alexander est qui testimonium perhibet veritati. Vocaverit Pius V. doctrinam D. Thomæ certissimam Christianæ doctrinæ regulam; Paulus V. clypeum Ecclesiæ; Clemens VIII. dixerit quod universos libros suos sine ullo prorsùs errore conscripserit; Seraphicus Pater Franciscus prædixerit quod doctrina ejus non peribit in æternum; Joannes XXII. quod opera sua non absque speciali Dei infusione perfecerit, hæc omnia & his similia tamquam verè dicta approbavit unus atque idem Alexander ex hoc ipso quod minora An-

gelici Doctoris meritis esse pronunciavit. I nunc Pater Reverende, & ulterius omnem operam tuam impende, ut S. Thomam gloriosis suis titulis & encomijs denudes. Frustra agis; nobiscum enim in hac parte est Alexander, qui contra calumnias, pro sua in S. Thomam devotione brevi, ut speramus, illum tutabitur; quem excellenter adeò commendavit: nisi fortásse dixeris quod & ipse erret in dato à se pro S. Thoma testimonio; vel processerit ex ignorantia, quod utrum audeas, non audeo ego determinare. Et verò quare hujus elogij ab Alexand. VII. pro S. Thoma dati non meministi in Nodo tuo indissolubili? ex eo profectò quòd intento tuo deprimendi S Thomam videbas non convenire, similis in hac parte fidei nostræ adversarijs, qui ex Scripturis illa solùm arripiunt quæ suæ videntur secundum litteram conformia doctrinæ, alijs suppressis & relictis. Cæterùm faxit Deus illum tibi propitium contra quem calamum tuum levasti, licet ipse non læsisset te. Si ego te in aliquo punctivo fortassis verbo visus sum læsisse, excusa intentionem quæ nihil aliud exequi voluit, quam (efficaciter tamen) Divum Thomam defendi.



Repe-

Licet confidam parvum hunc libellum meum, nulli fuisse offendiculo, quod purè putè ea intentione elaboratus sit, ut cum moderamine inculpatæ tutelæ, illatam D. Thomæ, & Ordini nostro injuriam, pro debito nostro repelleremus: Ne tamen maledicorum obloquia ansam capiant, eidem contradicendi, præsumpto quocumque titulo: repeto hic sub finem qualiscumque laboris mei, & innovo protestationem meam, factam in Præfatione ad lectorem, quòd videlicet in hoc toto libello meo, nec intenderim sed nec de facto intendam, directè vel indirectè, neque ex vi operis, neque ex intentione operantis, vel in minimo attingere mysterium Conceptionis Sacratissimæ Mariæ Virginis. Neque enim talis sum, qui nolim esse obsequens decretis & constitutionibus Apostolicis: sed qui vellem, quod Patrem de Alva potuissem refutare, etiam non nominato per totum libellum meum Conceptionis vocaculo. Ita abhorreo, non à Mysterio conceptionis, quod tamquam pium revereor, sed ab omni etiam vel minima, contra Romanam Sedem, specie inobedientiæ, & irreverentiæ.

Protestor insuper me nihil hic agere, vel egisse, contra Seraphicum Ordinem S. Francisci. Maledictus enim foret, qui vel solveret, vel scinderet Nodum charitatis, quem ut numquam dissolvendum, SS. Patriarchæ, & Patres nostri, Franciscus & Dominicus texuerunt: & de quo dici potest, væ homini illi per quem scindetur. Si proindè in aliquibus fortassis visus fuero parumper excessisse, contra nullum intelligantur verba mea processisse, quam contra unam privatam Personam; Nec tam contra Personam, quàm contra irreligiosum librum ejus, quem

vellemus numquam impressum, non quod ei respondere non possimus, sed ne ejus occasione in nobis, vel motus etiam primò primus alicujus aversionis contra Ordinem FF. Minorum posset exoriri: Fratres enim sumus, & manere volumus. Nec Nos Fratres dumtaxat, sed qui vellemus esse omnium & singulorum Ordinis Minorum servi. Quod attinet ad Patrem de Alva, nescio si vel in minimo (gravissime alioquin lacessitus, quia Religiosus Ordinis FF. Prædicatorum, & Discipulus D. Thomæ, contra quos liber ejus compositus est) nescio inquam, si vel in minimo in hoc libello ipsum læserim. Hoc scio, me nec in minimo Personam ejus aversari.


Lectori quoque supplico, ne ex ferventiori aliqualiter refutatione mea, sumat occasionem scandali: non enim in hoc libello agitur contra FF. Minorum, ut jam diximus, Ordinem, sed contra librum aliquem, qui quod nimis turpiter traducat S. Thomam Quintum Ecclesiæ Doctorem, atque sic indirectè inhonoret Ecclesiam cujus Doctor est, cum zelo aliquo videbatur refutandus: Ne vel ipsi hæretici, quibus S. Thomas & doctrina ejus timori est & venerationi, & quem sentiunt ut validissimum contra se Clypeum, vilipendere cum incipiant, à Scriptore Catholico adeò humiliatum & diminutum. Quod si fortassis hæc eadem mea refutatio limites suos vel in minimo excesserit, ex intentione factum non est, nec malitiosè. Ita testor qui vos omnes valere jubeo &c.

Finis hujus libelli breviter Patrem de Alva admoneat quod si quæ sint minoris momenti puncta, quæ in hoc libello non refutavimus, quod propterea ea non admittamus ut vera, sed vel ex nunc ea reijciamus ut de veritate suspecta. Enim vero si in paucis & non adeò celebribus hujus nostri Belgij Bibliothecis, inventus fuerit Pater de Alva in prin-

cipa-

cipalioribus punctis sui Nodi Indissolubilis manifestè devians à veritate ut suprà ostendimus, non dubitamus quin & in reliquis suis dictis & scriptis similis sibi, id est, ubique falsus inveniretur in Bibliothecis totius Europæ, & præcipuè in ipsis libris à se citatis.

FINIS.



# CERTISSIMUM QUID
CERTISSIMÆ VERITATIS,
PRO DOCTRINA DOCTORIS ANGELICI
# S. THOMÆ
AQUINATIS,
CONTRA
# CERTUM QUID
CERTISSIMÆ FALSITATIS,
ADVERSUM
P. F. PETRUM DE ALVA
ET ASTORGA,
## CERTI SUPRA-DICTI,
Et nuper per totum Belgium (ſuppreſsô nomine Authoris, & ſine ullâ approbatione) diſperſi
## AUTHOREM
CERTO CERTISSIMUM.
PER
P. F. FRANCISCUM JANSSENS ELINGA
Ord. FF. Prædicatorum Philoſophiæ
Lectorem Lovanij.

*Superiorum Permiſſu.*

Detecturus quàm certò deviaverit à semitis sinceritatis, & religiosæ veritatis *Certissimus Author publicati nuper contrà Angelicum Doctorem* CERTI *P. Petrus de Alva & Astorga*: Protestor me hoc rescriptionis genus non ex sinistrô contrà prædictum Patrem affectû (quàmvis nec multum affici erga eum quis possit, quisquis fuerit vel ex parte D. Thomæ affectus) sed solius falsitatis ejus detegendæ, & Angelicum Doctorem, per eum graviter læsum, defendendi causâ fuisse aggressum. Per hoc verò ego nolim vicissim ut aliquis sibi persuadeat, me sententiam de Immaculatâ Conceptione (pro quâ prædictus Pater improportionatè seipsum excenterat, & CERTUM suum improportionatè scripsisse cognoscitur) vel in minimô impugnare velle; id enim in obsequium S. Apostolicæ Sedis libenter & obedienter caveo. Et ne videri possem solùm verbis agere, & obedientem S. R. Ecclesiæ filium me protestari tantùm, sed ut & hujusmodi me probem, quæcunque allegata in *Certo Quid* Patris de Alva contrà sententiam Thomistarum in materiâ Conceptionis v. g. *Quod locutiones S. Thomæ in eâdem materiâ omnes dubiæ sint, incertæ, obscuræ, vagæ ac indifferentes*, & cætera similia intacta prætereibo, ut ita abstineam ab omni etiam specie vel minimæ inobedientiæ, quam debeo Capiti Ecclesiæ Alexandro VII: suprapositis proindè prætermissis, in hoc parvô tractatu agemus tantùm de operibus seu scriptis D. Thomæ, primò examinaturi, ad quod propositum dixerit P. de Alva in CERTO QUID, *non constare de operibus D. Thomæ, utrum omnia verè sint ipsius, quæ sub ejus nomine circumferuntur*: probaturi deindè, quod plurima falsò & temerariè D. Thomæ subtrahat: ostensuri posteà,

 quod

quod in correctione operum ejusdem Sancti, nihil unquam immutatum fuerit ex textu & litterâ originali; & quod denique indoctè & contrà veritatem inferat P. de Alva ex eadem correctione, *de facto non haberi facilè opera D. Thomæ integra, & sincera, prout ab ipso sunt scripta.* Atque ascendendo ad primum, dico.

CERTISSIMVM esse, quod non serviat intentioni Patris de Alva contradicendi Thomistis, quod ipse dicat, *non constare de operibus D. Thomæ, utrùm omnia sint eius genuina, quæ sub eius nomine circumferuntur.* Certum enim est, & in confesso, in scholâ quoque Thomisticâ, non constare certitudinaliter, an omnia sub nomine S. Thomæ promulgata, sint ipsius sicut legitimi Authoris. Hinc plura ex opusculis S. Thomæ, minoribus à cæteris characteribus sunt impressa, ut tanquam solùm dubia dignoscerentur. Quid verò exindè consequentiæ, quod de nonnullis operibus dubitetur an sint S. Thomæ? an fortassis quod nihil certi habeamus de ipsius doctrinâ? si consequentia hæc subsistat, nec ullam similiter certitudinem habemus etiam de doctrinâ S. Augustini; cum de pluribus, quæ ejus nomine circumferuntur, opusculis dubitetur, an re ipsâ ipsius sint, vel alterius Authoris, uti videre est in Apparatu Sacro Possevini Societatis Jesu, in quô dubitatur de LXXV. diversis Homilijs, & XXX. & ampliùs tractatibus, an Augustini sint, quemadmodùm ipsius nomine circumferuntur. Ex hoc certissimô progredior ad probandum, quod, licet de aliquibus opusculis seu tractatibus certitudinaliter non constet quod sint S. Thomæ, plurima nihilominùs & ferè omnia in CERTO QVID relata temerariè S. Thomæ subtrahat Author CERTI. Atque incipiendo à principaliore opere Doctoris Sancti, dico

CER-

1 CERTISSIMUM esse, totam Summam Theologicam in tres partes distinctam, quam P. de Alva vocat in dubium, à primâ quæstione primæ partis, usque ad ultimam quæstionem supplementi; esse legitimum opus D. Thomæ. Hoc certissimum, quoad primam partem Summæ, non indiget probatione; nemo enim usque nunc de eâ dubitavit. Undè sola difficultas est, ad manutenendam primam secundæ, & secundam secundæ, cum tertiâ parte; propterea quod circa utramque illam partem versari videatur aliqualis ratio dubitandi.

Enimverò ratio dubitandi de 1. 2. & 2. 2. ea est, quod plurima contenta in 1. 2. & 2. 2. D. Thomæ, inveniantur in speculô Morali Vincentij Belluacensis, qui aliquot annis prior videtur Sanctô Thomâ, ut qui juxta Garziam mortuus est 34. annis ante S. Thomam, i. e. anno 1240. Cæterùm hæc ratio non adeò urget, quin indubitanter dicam, primam secundæ & secundam secundæ, quantæ quantæ sunt, esse genuina opera D. Thomæ. Et verò ut talia sint, & censeantur, suffecerit nobis, solvisse ab adversarijs, in hac materiâ actoribus, contrà 1.2. & 2.2. objecta argumenta: possidens enim, juxtà regulas Juris quod *Melior sit conditio possidentis*, manet cum possessione, donec actor per argumenta contraria evicerit justitiam suæ prætensionis. Contrariorum verò argumentum seu ratio, quare 1. 2. & 2. 2. non sint S. Thomæ, sed Belluacensis, ea est, quod plurima contenta in 1. 2. & 2. 2. inveniantur ad litteram in Speculo Morali Belluacensis, qui censeri non potest ea exscripsisse ex Sancto Thoma, ex eô, quod teste Francisco Garzia, Belluacensis mortuus sit anno 1240. vel teste Senensi, quem allegat Bellarminus, anno 1256. At verò S. Thomas, anno 1274. Quod verò spectat ad hanc rationem: priorem par-

tem assumpti admitto tanquam veram, quod scilicet plura contenta in 1. 2. & 2. 2. inveniantur ad litteram in Speculo Morali Belluacensis: secundam verò partem, in quâ est tota vis, cum ejus ratione nego, tanquam absolutè falsam; falsò enim dicitur, Belluacensem esse mortuum anno 1240: & contrà veritatem, quod fato cesserit anno 1256. Quod enim mortuus non fuerit anno 1240. patet ex tomô 3. seu ex ejus Speculo Naturali lib. 32. cap. 101. ubi *refert canonizationem S. Petri Martyris, factam ab Innocentio IV. anno* 1253. Ergò *anno* 1240. *mortuus non est, qui anno* 1253. *adhuc scripsit.* Quod etiam mortuus non sit anno 1256. patet primò ex Chronicis Magistrorum Ordinis nostri, quæ *referunt, Belluacensem scripsisse litteras consolatorias Ludovico Regi Francorum super morte primogeniti filij ejus, qui mortuus est, teste Bzovio & alijs, anno* 1260. Patet secundò ex historiâ Pontificali, *quæ Belluacensem adhuc agnoscit vivum anno* 1261. Patet tertiò, ut in ore duorum, imò trium testium, stet meum verbum, ex Jacobo de Susato in Chronicis nostri Ordinis; Albertô Castellanô item in Chronicis, cap. septimô; & ex Ferdinando del Castillo, centuriâ 1. lib. 2. cap. 69. qui omnes uniformiter testantur Belluacensem adhuc vixisse anno 1264. *Quod si verò adhuc vixerit annô illo, nempè* 1264. *anno* 1256. *mori non potuit, & multò minus anno* 1240. & ex consequenti, solutum manet argumentum adversariorum, dicentium exscripsisse S. Thomam ex Belluacensi primam secundæ & secundam secundæ, ex eô, quod Belluacensis mortuus sit, anno 1240 secundum Garziam, vel saltem anno 1256 secundum Senensem & Bellarminum. Quod si verò soluta maneant argumenta adversariorum, & inter illos Patris de Alva, manet S. Thomas cum possessione secundæ partis Summæ suæ, donec rationes aliæ allegentur

gentur in contra, quibus probetur, quod Belluacensis notabili tempore præcesserit S. Thomam, quas hactenus non vidimus, nec nos præsumo visuros, vel ob hoc solum, quod stylus primæ secundæ & secundæ secundæ sit ipsissimus stylus 1. partis D. Thomæ, de quâ non dubitatur quin sit ipsius: cujus conformitas licet reperta in diversis libris, eundem nihilominùs inclamat & protestatur eorundem Authorem. Vide hunc discursum latius deductum in hoc libello à fol. 13. & deinceps: quem non vulgariter suppono confirmatum iri, ex Decreto Sacræ Congregationis Indicis, debitè publicato Romæ die 28. mensis Septemb. 1632. In illo enim Sacra Indicis Congregatio prohibuit & damnavit universa Opera Joannis Baptistæ Poza: & inter cætera libellum inscriptum *Memorial a los Iuezes de la Verdad y Doctrina.* Porrò libellus ille, ex eo prohibitus, quod impugnaret Doctorem Angelicum & Doctrinam ejus, effutiebat inter alia, id quod etiam ventilatur IN CERTO QUID & in JUDICIO SALOMONIS, quod videlicet, S. Thomas magnam partem 1. 2. & 22. suffuratus foret ex Speculo Morali Vincentij Belluacensis. Quod si verò propter hanc, & similes propositiones, libellus ille prohibitus fuerit & damnatus à Sacra Congregatione Indicis, (de quo nulla potest esse dubitatio,) judicet Lector quo jure Pater de Alva Auctor CERTI, & Pater Martinus Perez de Guevara Auctor *Iudicij* SALOMONIS, eamdem resuscitaverint, dum ego intereà à Secunda Parte Summæ D. Thomæ progredior ad Tertiam Partem.

Ratio quæ movet Patrem de Alva ad dubitandum de eâ, & potissimum de quæst. 27. ea est, quod (ut loquitur in CERTO suô) nulli ex antiquis Thomistis unquam allegaverint 3. partem, & nominatim P. Nicolaus Eymericus Inquisitor Aragonensis, qui anno

1395. ſcripſit latiſſimum tractatum contrà Conceptionem, in quô adduxit, quidquid in S. Thoma invenire poterat pro ſuâ opinione. Verum & contrà hanc rationem dico.

CERTISSIMUM eſſe, totam 3. partem eſſe genuinam doctrinam D. Thomæ; & vel potiſſimum, quæſtionem 27. Abſit proinde (contrà P. de Alva), quod ab aliquô malevolô ſit intruſa. Probam hujus certiſſimi facillimè expediero, abſolutè negando, quod nullus ex antiquis Thomiſtis citaverit 3. partem ſummæ D. Thomæ; eam enim citavit *P. Ioannes Bromiardus*, qui (ipſomet *P. de Alva teſte in ſuo Certô Quid*) *parùm poſt S. Thomam vixit*. Quod verò Bromiardus 3. partem citaverit, dupliciter probatur: 1. quidem, ex ipsâ allegatione P. de Alva in eodem ſuô *Certo Quid*, ubi ſic dicit; *Item P. Ioannes Bromiardus Ord. Prædic. qui parùm poſt S. Thomam vixit, affirmat in ſuâ ſummâ prædicantium, tom. 2. art. 2. num. ä. fol. 318. S. Thomam in 3. parte poſuiſſe ſanctificationis excellentiam quantum ad temporis prioritatem in hoc, &c.* Igitur Joannes Bromiardus citavit 3. partem D. Thomæ. Probatur 2. Ex ipſis verbis Bromiardi, in quibus non tantum allegatur 3. pars, ſed ſpeciatim quæſt 27. Hæc ſunt enim verba Bromiardi; *Ipſa* (loquitur de Mariâ) *tam eminenter ſanctificata fuit, ut nec mortaliter, nec venialiter peccârit, ſicut patet per Thomam in 3. parte de Chriſto, quæſt. 27. ar. 6.* Ex his patet, quô fundamentô P. de Alva nitatur, dum dicit D. Thomam cenſeri poſſe 3. partem non compoſuiſſe. *Ex eô, quod antiqui Thomiſtæ neſciebant an S. Thomas ſcripſiſſet 3. partem Summæ.* Quod antiqui Thomiſtæ hoc non ignoraverint, patet ex Bromiardô, Thomiſtarum propè antiquiſſimo, ut qui paulo poſt S. Thomam vixiſſe dicitur etiam à Patre de Alva, ut ſuprà notavimus. Sed fuerint aliqui Thomiſtæ, qui diſputantes cum Scotiſtis,

tiſtis,

ciſtis, neſcio qua ratione, non allegaverint tertiam partem S. Thomæ: an ex eo deduci poſſet, quod S. Doctor tertiam partem non compoſuerit? Neutiquam profectò: cum vel maximè ego viderim diverſa tertiæ partis exemplaria, manuſcripta à trecentis 40. & amplius annis, id eſt, ante annum canonizationis D. Thomæ, quæ contigit anno 1323. quod ex eo patet, quod inſcripta nomine non Sancti ſeu Beati, ſed *nomine Fratris Thomæ de Aquino*: quorum unum extat in Abbatia Parcenſi propè Lovanium: & alterum in Abbatia Dunenſi Brugis Flandrorum. Evicta nunc etiam tertia parte, pro complemento totius Summæ, nihil reſtat niſi *Supplementum*: de quo ſimiliter dico;

Certissimum eſſe, quod ſit litteraliter doctrina D. Thomæ. Equidem fateor, Doctorem Angelicum morte præventum tertiam partem Summę ſuę tantum perduxiſſe uſque ad quæſtionem 90. & quod *Supplementum*, ſive per Henricum Gorrichem, ſive per P. Albertum de Brixia, vel quemcumque alium, poſt mortem D. Thomæ, ad nonaginta illas quæſtiones fuerit additum pro complemento totius tertiæ partis. Non ex eô tamen *Supplementum* deſinit eſſe ipſa etiam litteralis doctrina D. Thomæ: cum conſtet & notum ſit univerſis Theologis, totum *Supplementum* litteraliter deſumptum eſſe ex 4. Sententiarum D. Thomæ à diſtinctione 17. & deinceps. Igitur *Supplementum* æquè genuinus partus eſt D. Thomæ, ac ipſum *Quartum Sententiarum*: de quo cum non dubitetur quin ſit S. Thomæ; neque dubitetur de *Supplemento*. Quod ſi verò de illo dubitari non poſſit: nec debeat de tertia parte, ſicut nec de 1. 2. & 2. 2. & multo minus de prima parte: manet tota Summa, quanta quanta eſt, legitimum opus D. Thomæ. Ex Summa Theologica progredior ad *Compendium ſummæ*, quod incipit

cipit in hunc Modum *Æterni Patris verbum &c.* de alijs enim compendijs intra opera D. Thomæ non impressis, & ipsius tamen nomine ab aliquibus fortè publicatis, me non immisceo: & de illo dico conformiter.

CERTISSIMUM esse, quod sit solius S. Thomæ. Præterquam enim quod id testetur S. Antoninus 3. p. hist. tit. 18. cap. 10. §. 2. convincitur id ad hominem ex antiquissimo quodam manuscripto, existente in Abbatia suprà relatâ Parcensi, cui similiter non solum superscriptum est nomen Fratris Thomæ de Aquino (ex quo rursus colligas quod sit scriptum a. 300. & amplius annis) sed & in cujus primô capite continetur admonitio ipsius S. Doctoris, facta expresso nomine, socio suo Reginaldo, quæ etiam continetur in exemplaribus ejusdem Compendij usque nunc impressis. Et hoc ipsum Compendium D. Thomæ non sit? Quod attinet ad Commentaria in libros Machabeorum, quidquid Pater de Alva reclamet cum Bellarmino,

CERTISSIMUM est, quod sint Doctoris Sancti. Paucis id probavero: ex eô quod Ægidius Romanus piæ Memoriæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ quondam Cardinalis, & suo tempore D. Thomæ discipulus & auditor, in 4. sentent. distinctione 45, teste Stephano de Sampaio, in præfatione super libros Machabeorum, eorundem expositionem seu commentaria citet tanquam opera S. Thomæ, dicens inter cætera: *Sicut in expositione Machabeorum Reverendus præceptor noster Thomas tradidit.* Utrum hoc fundamentum non nisi conjectura sit, lector apud se judicet, licet illud Pater de Alva in suo CERTO QUID diffinitivè, ut conjecturam tantum, dijudicaverit. Quod nunc spectat ad Quæstiones quodlibetales, an & illæ S. Thomæ sint? nihil minus secundum Patrem de Alva. Hæc sunt enim

verba ejus in CERTO QUID ipsius: *Quæstiones quodlibetales esse alicuius sui* (i.e. S. Thomæ) *discipuli, satis liquet ex quadam auctoritate P. Joannis de Tabiena in summa sua fol. 734. verbo* FERIÆ *num.* 13. Ego vero his verbis P. de Alva non obstantibus, dico.

CERTISSIMUM esse, quod Quæstiones illæ sint ipsissimus fœtus D. Thomæ. Tabienæ enim opponitur, incomparabiliter majoris dignitatis & fidei, Sanctus Antoninus, 3. p. hist. tit. 18. cap. 10. §. 2. ubi disertis verbis Quæstiones quodlibetales dicit esse D. Thomæ. Sed quid dixi: *Tabienæ opponitur S. Antoninus?* cum Tabiena loco allegato, in Summa videlicet suâ, verbo *Feriæ*, num. 13. imò nec per totum illud caput unum iota habeat, quô vel mentio fiat de Quæstionibus quodlibetalibus, & multo minus de aliquô discipulo D. Thomæ? Nolo ut in hac parte Lector mihi credat: hoc tamen velim ut veritatem hujus dicti mei & errorem P. de Alva non ita examinet, quàm ad oculum deprehendat ex ipsa Summa Tabienæ existente in Bibliotheca Ordinis nostri Lovanij, litt. F. num. 4. in cujus fine sic legis. *Summa Tabiena cui titulus: summa summarum de casibus conscientiæ à proprio originali* (ex quo patet quod non sit exemplar aliquod vitiatum) *excerpta: Bononiæ impressa Anno* 1517. Ex his descendendo ad quinque simul Opuscula quorum primum est, *Expositio super salutationem Angelicam*: alterum, *super orationem dominicam* tertium, *De articulis fidei*: quartum, *De Ecclesiæ Sacramentis*; & tandem quintum, *super symbolum*, quæ universa, licet sub nomine S. Thomæ impressa, dicit tamen in suo CERTO QUID non esse ipsius, sed Innocentij III, assumendo in probam, & dicens quod *Id constat ex quodam originali manuscripto existente apud S. Martinum Lovanij litt. O. num. 7.* Formo ego unicum syllogismum ex tribus CERTIS

CERTISSIMIS, quorum medium deteget, vel dolum vel errorem Patris de Alva; ultimum verò concludet, eundem nullam hîc in Belgio mereri amplius fidem respectu Bibliothecarum & librorum à se( ut inquit ) visorum in Hispania, Italia, Germania, Anglia, Gallia &c. Igitur Syllogizo in hunc modum.

CERTISSIMUM est, prædictum Patrem non mereri amplius ullam hîc fidem respectu suprapositarum Bibliothecarum & librorum (ut loquitur) à se visorum, & quos nos hîc in Belgio visitare non possumus, si inveniatur imposuisse hîc in Belgio, & falsò allegasse bibliothecam aliquam & librum, quem diebus singulis possumus visitare: atqui CERTISSIMUM est quod taliter imposuerit, & quod falsò allegaverit Bibliothecam hujusmodi & librum: ergo CERTISSIMUM EST, QUOD NON MEREATUR INPOSTERUM ULLAM FIDEM RESPECTU BIBLIOTHECARUM &c. Major est certa: quomodo enim non præsumendus est imposuisse (uti dicitur) de longè, qui ita Belgis imposuisset de propè? profectò de conditionali convictus, timendum est, ne omnium sit reus. Cæterùm & de conditionali supposità Patrem de Alva convinco hoc discursu, qui fit probatio minoris. Dicit in suo *Certo Quid* constare ex originali manuscripto existente apud S. Martinum Lovanij, quod *quinque illa* supra relata opuscula sint Innocentij III. atqui certissimum est quod in hoc imposuerit, & quod falsò allegaverit Bibliothecam illam & illum librum: ergo. Priusquam descendam ad probationem minoris: sciat Candidus Lector, & quicumque veritatis amator, in allegata per Patrem de Alva Bibliothecâ S. Martini Lovanij, litt. designatâ O. num. 7. existere librum illum, quem dicit manuscriptum originale ( quo nomine quæcumque manuscripta contra veritatem & præter omnem consuetudinem intitulat ) qui sub uno tegumento

mento continet septem diversa opuscula de diversis materijs, idque sub his circumstantijs & ordine, ut videlicet primum opusculum ex illis septem sit insignitum nomine Innocentij III. reliqua verò sex, nullius nomen præferant: quorum tamen quinque, intermedia videlicet inter primum & ultimum ex illis septem, sunt ea quinque quæ Pater de Alva conatur D. Thomæ subtrahere dicens: *constat ex originali manuscripto existente apud S. Martinum Lovanij, quod sint Innocentij III.* His præscitis, progredior ad probationem meæ minoris, quod videlicet Pater de Alva imposuerit in hoc dicto suo: *constat ex originali manuscripto* &c. Enim vero unde hoc constet, cum nullum ut supra diximus ex illis quinque opusculis præferat nomen Innocentij? An fortassis ex eo quod sine nomine authoris consequantur ad primum illud opusculum, quod intitulatum est nomine Innocentij? Equidem hoc est unicum fundamētum quo nititur dictū illud Patris de Alva, *Constat ex originali manuscripto.* Itane verò hoc unicum fundamentum sit? adeò debile & infirmum, imo nullum? Iterum dico hoc unicum est supra quod fundatur hoc summi ponderis verbum *constat, constat.* Ego vero dico, quod ex eô non constet. Enim vero si constet quod 5. illa opuscula sint Innocentij III. ex eô quod consequantur solum ad unum aliquod opusculum ipsius nomine insignitum, eodem modô constare debet quod & ultimum opusculum ex illis septem, sit ejusdem Innocentij, cum non sit major ratio de quinque illis, quàm de hoc ultimô quod etiam nullius nomen præsefert, & post illa 5. immediatè consequitur ad illud 1. insignitum nomine Innocentij: atqui tantum abest ut constet illud ultimum opusculum esse Innocentij, ut constet de contrario. Enim verò in illo ultimo opusculo S. Thomas cum prænomine & cognomine pluries

nomi-

nominatur, quod protestor in fide religiosa & sincerâ coram illis qui prædictam bibliothecam visitare non possunt, & examinare prædictum opusculum, quod est quædam *expositio orationis Dominicæ* concatenata ex dictis diversorum Ecclesiæ Doctorum, & vel ab ipso limine sic exordiens; *Pater* (THOMAS DE AQUINO) *non Dominus, quia amari appetit non timeri &c.* quod si verò in illo opusculo S. Thomas nominetur, constat quod Innocentius III. illud non fecerit, cum Innocentius III. secundum Patrem de Alva in suo CERTO QUID, & secundum veritatem mortuus sit, antequam Doctor Angelicus nasceretur: Quod si verò hoc constet, constat ulterius non constare ex originali manuscripto, existente apud S. Martinum Lovanij littera O. num. 7. illa 5. Opuscula esse Innocentij; ex consequenti imposuisse Patrem de Alva in suo CERTO QUID; dum dixit illud sic constare; & allegasse falsò prædictam bibliothecam & librum. Cæterū finiamus discursum hunc, reassumendo per modum recapitulationis suprapositaa tria CERTISSIMA, & demonstrativè in hunc modum concludamus:

CERTISSIMVM est, Patrem de Alva non mereri ullam fidem hîc in Belgio respectu bibliothecarum & librorum, quos dicit se vidisse in Hispania, Italia, Gallia, Germania, & quos nos videre hîc non possumus, si inveniatur imposuisse Lovanij ubi vivimus, qui diebus singulis visitare possumus bibliothecas ab eo citatas: (hæc est per se Nota.) Atqui

CERTISSIMVM est, quod illic imposuerit: (hæc est probata.) Ergò.

CERTISSIMVM est, quod non mereatur ullam ampliùs hîc fidem &c. (& hæc est demonstrata.) Quod si ita sit (licet in libello hoc fol. 13. probavero contra Socium Patris de Alva, quod *Catena aurea* sit solius S. Thomæ: & ex Bellarmino, quod

quod ipse composuerit *commentaria in Epistolas Canonicas* &c. si tamen ea, & quæcumque similia, non paterent, secundum tria suprapofita certa Certissima, non propter testimonium Patris de Alva crederem non esse D. Thomæ: qui enim in hoc unico suprapofito puncto, deprehensus est deliquisse in veritate, meritò timendum est, ne in alijs quoque omnibus à se allegatis sit falsitatis reus. His proinde & similibus relictis, procedo ad tertiam partem suprapofiti assumpti mei; & dico ulterius.

Certissimvm est, Patrem de Alva deviare à veritate, dum in suo Certo Quid dicit, à discipulis D. Thomæ aliqua in doctrinâ D. Thomæ emendata & immutata, adeoque pro libitu emendantium retentam sententiam, quæ emendantibus probabilior visa. Certissimvm hoc non aliter probavero quàm destruendo fundamenta adversarij. Fundat se enim ille in quibusdam verbis nostrorum Patrum Romanorum (qui jussu Pij V. jusserunt reimprimi opera D. Thomæ) in Præfatione operibus præfixâ, sic loquentium. *Curavimus itaq; ut quàm emendatissimè imprimerentur omnia, amotis etiam ex eisdem commentarijs atque expunctis omnibus locis iuxtà nostri Ordinis Sanctiones quæ post decreta Tridentinæ Synodi Lectorē poterant detinere dubium vel suspensum, quos videlicet vel ipsemet Commētator vivens emendaverat, & si viveret emendasset.* Quæ universa verba dicit ipse dicta de doctrina D. Thomæ, ut videlicet ipsi fateantur se extrusisse, intrusisse, correxisse, emendasse, reliquisse, immutasse, quidquid eis placeret ex doctrinâ Angelici, juxta quod, si ipse superviveret, supponebatur universa hæc facturus. At verò quod verba illa dicta non sint, sed dolosè dicta dicantur de doctrinâ D. Thomæ, ut nihil certi de eâdem hodiernâ die censeretur haberi, ex ipsis verbis patet, loquentibus de commentarijs

& Com-

& Commentatore: cujus nomine quod S. Thomas intelligendus non veniat neque ejus doctrina, ad hominem, palpabiliter, irrefragabiliter, & certò ostendi fol. 126. hujus libelli, ad quod lectorem remitto. Ex hoc maneat, nihil correctores operum D. Thomæ immutasse in textu & originali littera D. Thomæ, sed si quæ correxerint, eos tantum locos correxisse, qui (uti loquuntur præfati Patres Romani in eadem supra citata præfatione) *Aliàs aut inter imprimendum irrepserant, aut etiam impreßi non fuerant, aut denique falsariorum & hæreticorum perfidiâ prodigiosè corrupti fuerant.* Sed quomodò, inquiet Pater de Alva, nihil immutaverint in textu, cùm pateat ex decem impressionibus diversis, habuisse S. Thomam lect. 6. in cap. 3. ad Galat, hæc verba: *Excipitur purißima & omni laude dignißima Virgo Maria*; quæ exceptiva in editionibus modernis desideratur. Habuisse quoque in tertiâ parte Summæ suæ hæc verba: *sanctificata fuit in suâ animatione, id est, coniunctione animæ cum corpore in utero matris suæ* &c. quæ similiter in tertia parte non reperiuntur. Et tandem habuisse in expositione capitis 5. ad Romanos ad illa verba Apostoli; *Omnes in Adam peccaverunt*, hæc; *Vnâ exceptâ B. Virgine* &c: quæ pari modo in expositione illius capitis hodiernâ die non apparent: sicut nec in expositione salutationis Angelicæ, hæc: *Nec originale peccatum incurrit.* Ad universa hæc sic velim respondere, ut nec in punctô conceptionem impugnem, sed purè demonstrem injustè nobis objici, quod violaverimus textum seu originalem litteram S. Thomæ, non attingendo cujus sententiæ S. Thomas alijs locis fuerit. Et procedendo ad primum, dico priora illa verba numquam fuisse D. Thomæ lectione illa 6. in cap. 3. ad Galat. Patet hoc ex 5. diversis exemplaribus inter cætera, impressis ante annum 1529, in quibus universaliter verba

illa

illa non habentur, quæ primò superintrusa sunt textui D. Thomæ, ad annum 1529. & deinde reimpressa, ut vult P. de Alva, in decem diversis editionibus. Quod si verum sit, quod videlicet prædicta verba in antiquis exemplaribus non inveniantur: ergo numquam fuerunt D. Thomæ, Porrò 5. illa antiquiora exemplaria videat lector in hoc libello fol. 124. quæ hîc non reduco, ne multiplicem verba sine necessitate. Hæc de primo. Quod verba secundô locô adducta numquam etiam fuerint S. Thomæ, ex eô patet, quod sint ipsissima verba Joannis Bromiardi, de quo supra mentionem fecimus. Sic enim habet secunda parte Summæ prædicantium titulo *Maria, cap. 3. num. 10. Secundam in corona habuit stellam seu florem elevatum ad modum coronæ Regalis, in hoc quod fuerit cæteris eminentius & specialius sanctificata. De alijs enim benè legitur quòd fuerunt in utero sanctificati, sicut de Hieremia & Ioanne Bapt. non tamen ita fuerunt sanctificati, quin potuerint venialiter peccare: ipsa verò tam eminenter sanctificata fuit, ut nec mortaliter nec venialiter peccarit: sicut patet per S. Thomam in 3. p. de Christo quæst. 27. art. 6. In eadem etiam quæstione, art. 2. ponit eius sanctificationis excellentiam quantum ad temporis prioritatem in hoc, quod sanctificata fuit in sua animatione, id est, in coniunctione animæ cum corpore in utero matris suæ* &c. Dicere vero quod hæc verba à Bromiardo adducantur ut textualia S. Thomæ, uti dicit Pater de Alva, nugari est, & in tantum, indignum, responsione: cum nec unum Iota totius discursus, vel insinuet, quin ipsissima sint verba Bromiardi, proferentis suum judicium de doctrina D. T. 3. p. q. 27. Hæc de secundo. Quod spectat ad verba tertio loco adducta, quod nec illa umquam fuerint D. Thomæ, ex eo patet, quod alias sibi ipsi in ijsdem capitibus *Quintus Doctor Ecclesiæ* directè con-

tradiceret, & specialiter in opusculo super salutationem Angelicam; cujus ego examen relinquo lectori curioso, ne ingredi videar conceptionis materiam. Extendo me proinde, illis prætermissis; ad ultimam partem mei assumpti, & iterum dico:

CERTISSIMUM est, quod indoctè & contrà veritatem Pater de Alva inferat ex correctione aliquoties adhibitâ reimpressionibus S. Thomæ, potissimum jussi Pij V: de facto non haberi facile opera D. Thomæ integra & sincera, prout ab ipso sunt scripta. Pari enim modo dici posset, nec Sacra Bilia hodiernâ die etiam apud Catholicos haberi integra & sincera, prout à SS. Prophetis Spiritu Sancto dictante sunt scripta. Enim-verò & illa sæpè sæpiùs correcta sunt jussu diversorum Pontificum, ut v. g. Sixti V. Clementis VIII. & Pij V. Quod cum sine scandalo dici non possit, non etiam cum multorum scandalo dicatur, propter correctionem adhibitam reimpressionibus Operum Divi Thomæ, modo non haberi ea integra & sincera: cum multorum dico scandalo quod in hoc stat, quod pari modo atque universaliter quis dicere posset in summum detrimentum Ecclesiæ, nullius quoque Sancti Patris vel Doctoris ut v. g. Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, Chrysostomi &c. haberi in Ecclesia Dei integra & sincera; cum & ipsa ad quamlibet impressionem sint correcta, emendata, polita &c. non minùs quàm Opera D. Thomæ.

Sub finem hujus Tractatuli notifico Patri de Alva, me non habuisse aliud fundamentum ad dicendum, quod ipse fuerit Author certò CERTISSIMVS, cui jam respondimus, CERTI QVID, nisi quod illud tamquam suum intruserit in Nodum suum Indissolubilem secundæ impressionis: cui addo ipsam confessionem aliquot Patrum Ordinis

Minorum: quæ conjuncta cum ipso Stylo, modô procedendi, & materiâ ipsius Certi, digitô demonstrat Authorem, & inclamat Patrem de Alva. Quod si verò is nolit audire Author totius CERTI, sed solum ipsius QVID, dum nobis constat quod totum CERTVM QVID ejus jussu impressum sit, & publicatum, atque ipsum QVID ab eo factum: velut adæquatum totius operis Authorem eum proponimus, tamquam qui per suum QVID, quidditatem dederit ipsi CERTO: de cujus Authore non sumus multum sollicití, etsi is foret *Amicus intimus* Patris de Alva, *sicut doctissimus, ita integerrimus* ut de eo loquitur in Nodo Indissolubili secundæ impressionis folio 701. etsi is, inquam, foret Petrus à Valleclausa, in *suo Libello de immunitate Cyriacorum*, in diversis locis judicialiter prohibitô, condemnatô, & publicè per Tortorem combustô, ut videlicet authoritatem haberet, ob quam à Patre de Alva mereretur citari in ipso CERTO QVID, tamquam pro complemento ipsius legendus, sub his terminis: *Vide de adulterationibus factis in Operibus Sancti Thomæ, Petrum de Valleclausa, in suo libello de immunitate Cyriacorum, Dyatriba 6.*

Sub eumdem quoque finem notifico Lectori, me folio 83. mei libelli, efficaciùs potuisse respondêre ad dicterium aliquod Patris de Alva, quam id præstiterim. Ad illam enim qualificationem quæ ibi ex eodem Patre adfertur his ejus verbis: *Est plusquam temeraria, falsa, & scandalosa & ut talis damnata* (hæc videlicet propositio) *Qui Doctrinam Divi Thomæ impugnaverit, semper fuit de veritate suspectus*, solum inquisivi ubinam propositio illa damnata sit, cum possem efficaciter ostendere tantùm abesse quod damnata fuerit, ut contraria propositio, illa videlicet:

licet: *Est plusquam temeraria, falsa &c.* in pœnam talionis per Inquisitionem Generalem prohibita sit. Cæterùm quod tunc non præstiti, nunc ostendo. Sciat igitur Lector, die 13. Junij Anno 1642, Inquisitionem & Tribunal Apostolicum Navarræ, inhibuisse defensionem certarum Thesium, alioquin die 15. Junij in Conventu S. Patris Francisci Bilbai, sub disciplinâ unius de Ordine Minorum, per aliquem de eodem Ordine defendendarum; propterea, quod in ipsâ Epistola dedicatoria, & ultima conclusione, supraposita pro doctrinâ Divi Thomæ, & ab Innocentio VI. dicta propositio censuraretur tamquam *temeraria & falsa*: quam eamdem inhibitionem mandavit dein continuari Consilium Supremæ & Generalis Inquisitionis, eamdem ob causam. Quod si verum sit, sicuti reipsa est, testante id R. P. F. Gonzalo de Arriaga in libello suô ad suprapositam Inquisitionem Navarræ (quem reservo apud me, ut videri possit requisitus) videat Pater de Alva quâ jure propositionem ab annis pluribus prohibitam defendi, reassumpserit contrà Sanctum Thomam: videat quo fundamentô in ea dixerit, quod propositio Innocentij VI. sit *scandalosa*, & ut talis damnata. Profectò non nisi ut crambes recoctas proferret, non nisi ut merces à pluribus annis fætentes novis verborum fucis dealbaret.

QVÆRI-

## QUÆRITUR, desumptum ex CERTO QUID.

QUærenti an S. Thomas, si nunc viveret, retractaret suam opinionem in materia Conceptionis: Respondet *Pater de Alva* in CERTO QUID sub distinctione, dignam *Astorga* Sententiam. Quod videlicet, *ut* DOMINICANUS *non se retractaret, quia nimis adhærent suæ opinioni, & pluris faciunt eam, quam authoritatem Ecclesiæ & Doctorum; sed ut Sanctus & tam humilis, sine dubio se retractaret.*

## QUÆRITUR, contentum in hoc CERTISSIMO.

Quærenti an P. de Alva convictus in tot punctis substantialibus, quæ continentur in hoc libello, ea retractabit? Respondet ipse similiter sub distinctione in Nodo suo Indissolubili secundæ impressionis fol. 728. dicens: *In isto libro, proposità* VERITATE *nulli contradicimus, nec contradicemus umquam. Et si quid positum in eo sit quod veritati non consonaret, eâ non consonantiâ demonstratâ, totum quod dictum est revocare parati. Sed notetur benè, me non agere cum* NUGIVENDULIS, *& iuxta Minervam suam, & non aliorum loquentibus.* Ego verò non sub distinctione, quali ipse superius contrà S. Thomam (temerarium enim judicarem, vel ipsum etiam Patrem de Alva, distinguere seu dividere in *Religiosum humilem, & Franciscanum*) sed determinatè dico, quod non retractabit. In promptu causa est: quod apud eum, ex hoc ipso quis, NUGIVENDULUS sit, ac proindè indignus propter quem se retractet, quô Philosophiæ (ut Author hujus Opusculi) tantùm Lector. Cæterùm an

NVGAS ego collegero tamquam Lector, & vendiderim ut NVGIVENDVLVS, judicet qui hunc libellum non ut NVGAS emit. Si verò tales invenerit, reputet responsiones meas, ut *exsufflationes athomorum*, similes illis, quos P. de Alva dicit insurrexisse contra Eclypsantem adhuc in Inquisitione Hispanica *Solem* suum, quem intitulat, *veritatis*.

Sin verò serium QVID compererit, supplico, ut relicto P. de Alva, suum ipse (si fortè primò rumore pro ipso præoccupatum) retractet judicium: in hoc fortassis usque nunc non æquum quod teste Seneca

*Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,*
*Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.*

Potest lucem videre.

*I. GILLEMANS*
*Can. Pœnitent. Librorum Censor.*

## Errata Libelli ſic corrige.

FOl. 5. lin. 23. & 34. ad illa verba *folio* 12. & 13. ſubintellige, Introductionis Operis. Fol. 8. lin. ultimâ loco folij 2. lege 21. Fol. 13. lin. 26. loco folij 585. lege 685. Folio 19. lin. 30. loco numeri 100. lege 101. Fol. 30. lin. 15. loco numeri 7. lege 71. Fol. 40. loco numeri 165. lege num. 163. Fol. 86. lin. penultimâ, loco numeri 525. lege 535. Fol. 103. loco num. 552. lege 553. Fol. 111. loco num. 457. lege 557. Fol. 112. loco num. 668. lege 558. Fol. 113. lin. 12. loco num. 556. lege 558. Fol. 122. loco num. 583. lege 584. Fol. 124. lin. 31. loco num. 1491. lege 1498. Fol. 141. loco num. 613. lege 623. Fol. 144. lineâ penultimâ loco titulis ſibi datis, lege titulos ſibi datos. Fol. 145. loco fol. 620. lege fol. 626. Fol. 146. loco num. 339. lege 628. Fol. 149. loco fol. 618. lege 628. Fol. 171. loco num. 603. lege 683. Fol. 188. loco num. 1587. lege 1487.

